

INSTITUTIONES  
PHILOSOPHIAE SCHOLASTICÆ

AD MENTEM DIVI THOMÆ AC SUAREZII,

AUCTORE

P. JOSEPHO MENDIVE,

SOCIETATIS JESU·SACERDOTE.

THEODICEA.

SUPERIORUM FACULTATE.



VALLISOLETI:  
Ex TYPOGRAPHIA VIDUÆ DE CUESTA ET FIL.  
MDCCCLXXXVII.





1.—Theodicea, quæ etiam *Theologia naturalis* a quibusdam vocari solet, est ea *Philosophiæ pars*, quæ *Dei existentiam, altissimasque ejus perfectiones lumine rationis investigat ac demonstrat*. Quatenus est *Philosophiæ pars*, competit ei veræ scientiæ ratio. *Philosophia* enim in omnibus suis partibus vera scientia est. Quatenus *circa Deum altissimasque ejus perfectiones versatur*, a cæteris *Philosophiæ partibus* discriminatur; unaquæque enim scientia a suo proprio objecto suam rationem accipit. Quatenus denique *rationis lumine veritates suas investigat*, a *Theologia* distinguitur: hæc namque *Dei naturam ac divina misteria sub altiore lumine fidei et supernalis revelationis perscrutatur*.

2.—De nobilitate Theodiceæ nihil est cur vel unum verbum dicamus. Constat enim manifeste illam esse quam maximam, cum scientia hæc *circa nobilissimum objectum* versetur. Ordo autem rerum tradendarum hic erit, ut primo *Dei existentiam ostendamus*, argumenta etiam a quibusdam pro ea probanda adduci solita examinemus et quæstiones ad *Dei notitiam spectantes* ventilemus; deinde vero *Dei naturam*, tum etiam attributa ejus præcipua pro viribus rimemur.

## CAPUT PRIMUM.

### De existentia Dei.

3.—Ante quam Dei naturam investigandam aggredimur, ejus existentiam probare oportet; hoc enim postulat rectus disputationis ordo. Quatuor autem ad hanc quæstionem solvendam inquirenda sunt: 1.<sup>um</sup> *An Dei existentia sit per se nota:* 2.<sup>um</sup> *An Deum existere sit demonstrabile;* 3.<sup>um</sup> *Quibus argumentis demonstrari possit Dei existentia;* 4.<sup>um</sup> *Quid de Atheis dicere oporteat.* De iis ergo totidem articulis loquemur.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### De necessitate alicujus discursus ad cognoscendam Dei existentiam.

4.—Dei nomine intelligimus *Ens summum, quod vi suæ propriæ essentiæ existit, a quo cuncta creata procedunt, quodque perfectissima sapientia sua omnia disponit ac gubernat.* «Omnes latinæ linguae scios, scribit hanc in rem S. Augustinus, cum aures eorum sonus iste (*Deus*) tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quamdam immortalemque naturam. Nam cum ille unus cogitatur deorum Deus, ab his etiam qui alios et suspicantur et vocant et colunt deos sive in cœlo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit atque sublimius illa cogitatio conetur adtingere (1).

5.—Hac Dei notione ductus S. Anselmus, in *Proslog.* cc. 2-4 ostendere conatus est Dei existentiam per se ipsam, sine ullo discursu et sola expositione terminorum, quibus enuntiatur, a nobis cognosci. E contra S. Thomas (2), quem hac in re omnes

(1) S. August. *de Doctrina christ.* lib. 1, cap. 6-7.

(2) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 2, art. 1.

generatim Theologi sequuntur, existimat existere Deum non esse per se notum quoad nos, sed tantum quoad se; ac proinde omnes homines in hac vita, ut Dei existentiam noscant, aliquo discursu indigere. Ut verissimam hanc doctrinam tueamur, sit sequens

### PROPOSITIO.

*Dei existentia est quidem per se nota quoad se, non autem quoad nos.*

6.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Hæc propositio: *Deus existit*, in qua de Deo prædicatur existentia, est per se nota quoad se. Ergo Dei existentia per se nota quoad se dicenda est. *Prob. ant.* Illa propositio est per se nota quoad se, cuius prædicatum est de ratione subjecti; ita ut intelligens quid sit illud quod significatur per nomina subjecti et prædicati, statim sine ullo discursu intelligat prædicatum convenire subjecto. Atqui hoc accidit in propositione illa: *Deus existit*: nam existentia est Deo essentialis; ac proinde nemo potest cognoscere Dei essentiam seu quid sit Deus, quin eo ipso cognoscat absque ullo discursu Deum existere. Ergo...

7.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Propositio illa: *Deus existit* non est per se nota quoad nos. Ergo... *Prob. ant. 1.<sup>o</sup>* Ut propositio prædicta foret per se nota quoad nos, deberet nobis patere ejus veritas ex sola expositione terminorum, quibus enuntiatur. Sed expositio terminorum memorata per se sola minime dicit nobis Deum vere existere a parte rei atque extra intellectum nostrum. Solum enim nobis annuntiat, existentiam physicam et realem Deo convenire in hypothesi quod objectum nomine *Dei* significatum non sit quid fictum ab imaginatione nostra, sed ens reale et capax exi-

stendi: utrum autem objectum sub nomine Dei veniens sit quid realiter aptum ad existendum, hoc nos ex sola terminorum expositione, quibus prædicta propositio enuntiatur, intelligere cum certitudine non possumus. Ergo... 2.<sup>o</sup> Propositio aliqua nequit dici per se nota quoad nos, quando ejus veritatem demonstratione indigere dicunt omnes generaliter sapientes, qui de illa judicare possunt. Sed hoc laudatæ propositioni accedit: si enim unum vel alterum Scholasticum excipias, qui S. Anselmo adhæsit, omnes generatim censem propositionem hanc demonstratione indigere. Ergo... (1)

### Solvuntur difficultates.

8.—Obj. I. Omnia populorum consensu, ut ostendit S. Augustinus in libro primo *de Doctrina christiana* supra laudato, nomine Dei intelligitur *id, quo nihil melius cogitari potest*. Sed id, quo nihil melius cogitari potest, necessario debet esse existens extra intellectum. Ergo... *Prob. min.* Si intra intellectum tantum existere supponatur, jam non erit amplius id, quo melius excogitari nequit; quia melius est existere intra atque extra intellectum, quam intra intellectum tantum. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—Id, quo nihil melius cogitari potest, necessario debet existere extra intellectum, *si ens reale sit, aptumque ad existendum extra intellectum*. *Conc.:* *si sit purum ens rationis et fictum ab intellectu*, Neg. Ad probat. *Dist. ant.* Si intra intellectum tantum existere supponatur, *et sit possibile seu intrinsece aptum ad existendum*, jam non erit amplius id, quo nihil melius cogitari potest, *Conc.: secus*, Neg.

---

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 2, art. 1; item *cont. gent.* lib. 1. cap. 10-11.

Conceptus Dei in hominibus existens non est intuitivus sed abstractivus seu per synthesim intellectus ex conjunctione diversorum conceptuum universalium efformatus; hoc enim modo nobis efformamus conceptus omnes circa insensibilia et spiritualia versantes. Jam vero intellectus noster per synthesim idearum efformat sibi entia mere idealia et intra ipsum tantummodo per modum objecti existere valentia: et ex sola terminorum expositione non constat utrum Deus, quo nihil melius cogitari a nobis potest, sit ens vere reale et capax existendi extra intellectum, vel ens rationis et existere non valens nisi in intellectu per modum objecti. Hinc patet nullius esse valoris illud quod in fine argumenti dicitur. Nam melius quidem est existere intra atque extra intellectum quam in solo intellectu, quando agitur de ente reali et apto ad existendum, minime vero quando agitur de mero ente rationis.

9.—Obj. II. Nemo potest Deum cogitare, quin cogitet existere; nam existentia est de ejus essentia. Atqui illud quod nemo prorsus potest cogitare, quin cogitet existere, est manifesto existens. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Nemo potest Deum cogitare, quin cogitet *cogitatione mere apprehensiva* existere, *Conc.*; quin cogitet *cogitatione judicativa* existere, *Neg.* Et *contradist. min. neg. cons.* Deum per simplicem apprehensionem nemo potest cogitare, quin eum sibi repræsentet ut existentem; quia existentia est de ejus ratione formalis. Sed bene possumus Deum cogitare, quin judicemus eum existere: sunt enim ac semper fuerunt homines athei, qui Dei existentiam cogitant et tamen Deum existere negant.

10.—Obj. III. Cognitio Dei ex primo rationis usu est hominibus necessaria ad honeste operandum. Ergo ante primum usum rationis debet jam illis esse Dei existentia manifesta.

Resp.—*1.º Neg. ant.*—Ad honeste enim operandum sufficiunt hominibus prima principia moralitatis: *Bonum faciendum est, malum vero fugiendum*; quæ immediate evidentia sunt, et cognitionem Dei, sub ratione saltem formalis Divinitatis, non includunt.

Resp.—2.<sup>o</sup> *Trans. ant. et dist. cons.*—Ante primum usum rationis debet jam existentia Dei esse illis manifesta *per magisterium externum*, *Trans.*: *per immediatam evidentiam*, Neg. Juxta providentiam Dei ordinariam homines via auctoritatis et magisterii in Dei cognitionem deveniunt, ante quam per suam rationem eum invenire possint: in societate enim nascuntur et a parentibus suis in ipsa infantia Dei cognitionem accipiunt. Proinde Deus jam hominibus providit medium mature adquirendi ejus notitiam, quin opus sit ejus existentiam per se atque immediate notam facere.

11.—*Obj. IV.* Omnes naturaliter et sine ullo discursu novimus existere a parte rei aliquod objectum, cuius possessione felices esse possumus. Sed hoc objectum solus Deus est. Ergo omnes naturaliter et sine ullo discursu novimus existere Deum.

Resp.—*Conc. maj. et min., dist. cons.*—Omnes naturaliter et sine ullo discursu novimus existere Deum *sub ratione generali beatitudinis objectivæ*, *Conc.*: *sub ratione speciali et propria Dei*. Neg. Cognoscere Deum *sub ratione generali beatitudinis objectivæ* non est proprio cognoscere Deum; quia non est per se notum nec patet omnibus hominibus beatitudinem nostram objectivam in solo Deo reponi posse.

12.—*Obj. V.* Per se nota est hæc propositio: *Ens pessimum non existit.* Ergo per se etiam nota esse debet hæc illi opposita: *Ens optimum existit.* Sed ens optimum Deus est. Ergo...

Resp.—*Conc. ant., ac neg. cons. et parit.*—Ens pessimum est contradicatio manifesta. E contra existentia entis optimi demonstratione indiget; quia non claret per se esse possibile ens aliquod, in quo inveniantur simul collectæ omnes perfectiones cæterorum entium inferiorum, quod tamem exprimitur per rationem formalem entis optimi.

13.—*Obj. VI.* Singulis hominibus indita est ab ipsa natura idea existentiæ divinæ. Unde ob hanc causam dicit sacra Scriptura Deum *signavisse super nos lu-*

*men vultus sui* (1): et Sancti Ecclesiæ Patres docent cognitionem Dei esse *doctrinam naturæ et congenitæ et ingenitæ conscientiæ*. Sed natura non nisi cognitiones per se evidentes hominibus indit. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Singulis hominibus indita est ab ipsa natura idea existentiæ divinæ, *quatenus facillimo discursu possunt ratione sua naturali cognoscere Deum ex creaturis*, Conc.: Atiter, Neg. Deinde *dist. parriter min.* Natura non nisi cognitiones per se evidentes indit *strictissime loquendo*, Conc.; *minus stricte*, Neg. Et *sub dat. dist. neg. cons.* Non solum cognitiones immediate evidentes, sed etiam illæ quæ facillimo discursu ex immediate evidentibus inferuntur, indi ab ipsa natura dicuntur. Natura enim omnes nos fecit *rationales*: unde omnes illi discursus, qui sine ulla humana industria in nobis veluti ipsa sponte naturæ fiunt, *naturales* optimo jure vocantur. Hujusmodi autem est discursus, quo omnes homines ex cognitione pulcherrimi hujus mundi sensibilis in cognitionem sui auctoris sine ulla industria et quasi instinctu naturæ ducti facillime adscendunt. Atque hoc tantum significare volunt Scriptura et Patres, quando dicunt cognitionem existentiæ divinæ esse nobis ingenitam et naturaliter inditam.

## ARTICULUS II.

### De demonstrabilitate existentiæ divinæ.

14.—Existentiam divinam demonstrari non posse asserunt imprimis Materialistæ, Pantheistæ et Positivistæ: quorum *primi* docent Deum inter res pure imaginarias esse amandandum, nihilque in rebus præter puram materiam existere; *secundi* entia hujus mundi sensibilis cum ipso Deo turpiter confundunt, soloque proinde nomine Deum admittunt; *tertii* denique sola sensibilia humanæ considerationis digna reputant, reliqua ve-

---

(1) Ps. IV, v. 7.

ro omnia cogitationibus singulorum pure subjectivis, tamquam scientifico fundamento destituta, relinquenda censem. Deinde ex contraria omnino ratione pro impossibilitate demonstrandi Dei existentiam Ontologi et Traditionalistæ decertant: ambo enim, licet diversis rationibus ducti, tenent cognitionem Dei ad omnem aliam quamcumque requiri, ac proinde existentiam, Dei proprie loquendo, per contemplationem creaturarum *illustrari* quidem posse ac *clariorum reddi*, minime vero demonstratione cognosci, in qua ex cognitis ad incognita procedamus. Denique Sentimentalistæ cum suo duce Jacobi existimant rationem humanam suis discursibus non nisi ad obscurandam Dei cognitionem valere; hanc vero instinctu cæco ac veluti *sensu mentis quodam*, quem ipsi *fidem* vocant, comparari posse.

Non est cur has omnes falsas doctrinas singillatim refutemus, cum earum falsitas jam in aliis Philosophiae partibus abunde fuerit ostensa. Sufficit ergo aliquas earum leviter tangere et demonstrabilitatem existentiae divinæ argumentis inconcussis statuere. Sint ergo sequentes propositiones.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Falsum omnino est revelationem divinam esse absolute necessariam ut mens humana naturali rationis lumine ex creaturis Deum certo cognoscere possit.*

15.—*Demonst.*—Revelatio divina non est absolute necessaria ut mens humana naturali rationis lumine in certam veritatum moralium et religiosarum cognitionem pervenire queat, ut ex ostensis in Psychologia constat. Sed quod dicitur de veritatibus religiosis, pari ratione de fonte omnis religionis, qui verus Deus est, asseri debet. Ergo.....

16.—Hinc Concilium Vaticanum doctrinam Traditionalistarum, qui absolutam divinæ revelationis necessitatem ad certo cognoscendum Deum statuebant, his verbis reprobare non dubitavit: «Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae

rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: attamen placuisse ejus sapientiæ et bonitati alia, eaque supernaturali via se ipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare (1)». Ubi Patres Concilii docent, spectatis humanæ rationis viribus, mentem humanam potuisse sine auxilio revelationis e rebus creatis Deum certo cognoscere; ad factum vero quod attinet, ad ejus cognitionem via supernaturalis revelationis pervenisse. Unde paulo inferius in eodem capite scribunt, «*huius divinæ revelationi tribuendum quidem esse, ut ea, quæ in rebus divinis humanæ ratione per se impervia non sunt, in præsenti conditione generis humani ab omnibus expedite, firma cognitione et nullo admixto errore cognosci possint: non hac tamen de causa revelationem absolute necessariam dicendam esse, sed quia Deum ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem».*

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Deus nec intuitu ullo nec aliquo mentis sensu a nobis in se ipso immediate cognoscitur.*

17.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Cognitio Dei intuitiva intellectui nostro nec de facto datur (Ps. 485), nec ex propria sua conditione convenit (Ps. 488). Ergo...

18.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Cognitio Dei instinctiva et cæca humanæ naturæ repugnat: hæc enim, rationalis cum sit, non nisi motivo alicui innixa judicia sua emittere amat. 2.<sup>o</sup> Si cognitio Dei cæca et instinctiva dicitur; idem asserere oportebit de omnibus illis cognitionibus primariis, quæ fundamento sunt omnibus scientiis: et hoc quidem Sentimentales cum Reidianis admittunt, ut in Logica ostensum est (L. 478). Sed hoc est totum ædificium scientiarum evertere, super fidem cæcam et instabilem illud construendo. Ergo...

---

(1) Concil. Vatic. Constit. *Dei Filius*, cap. 2.

PROPOSITIO TERTIA.

*Dei existentia vere ac proprie demonstrari potest.*

19.—*Demonst.*—Ad veram et propriam demonstrationem requiritur et sufficit, ut res demonstranda sit quoad nos minus nota illis rebus, ex quarum cognitione per legitimum ratiocinium evidenter infertur. Atqui Dei existentia: *a)* est quoad nos minus nota creaturis ex quarum cognitione infertur; *b)* ex cognitione creaturarum per legitimum ratiocinium deducitur; *c)* denique ratiocinium hoc non est cuiuscumque generis sed vere evidens. Ergo...

*Prob. minor quoad 1.<sup>am</sup> p.*—Creaturæ, utpote res sensibles, ad objectum proprium et proportionatum intellectus nostri pertinent: e contra Deus, utpote essentia quædam summe spiritualis et a sensibus maxime remota, extra hoc objectum proportionatum est atque ad adæquatum tantummodo spectat. Atqui res extra objectum proprium et proportionatum intellectus nostri vagantes minus notæ sunt quoad nos illis, quæ intra hoc objectum continentur; eæ namque per species proprias et ad instar nullius alterius, illæ vero per species alienas et ad instar rerum sensibilium a nobis percipiuntur. Ergo...

*Prob. minor quoad 2.<sup>am</sup> p.*—Creaturæ hujus mundi sensibilis sapientiam et potentiam supremi sui Conditoris deprædicant: omnis enim effectus aliquo modo naturam ac perfectiones suæ causæ participat atque illas manifestat. Sed supremus earum Conditor Deus esse deprehenditur. Ergo hujus existentia per legitimum ratiocinium ex illarum cognitione legitimate juxta principium causalitatis infertur.

*Prob. minor quoad 3.<sup>am</sup> p.*—Natura rerum sensibilium clare ac manifeste nobis testatur rationem

sufficientem suæ existentiæ in actione creatrice supremi sui Conditoris esse reponendam, ut ex inferius tractandis patebit. Ergo ratiocinium, per quod ex creaturis ad Deum, earum creatorem, ascendimus, non cujuscumque generis sed vere demonstrativum dici debet.

### Solvuntur difficultates.

20.—Obj. I. Philosophi pagani revelatione divina destituti circa naturam Dei turpiter erraverunt. At qui hoc ostendit revelationem hanç esse absolute necessariam ad naturam Dei ex creaturis cognoscendam; secus enim aliqui saltem eorum bene de Deo sensissent. Ergo sine revelatione absolute impossibile est Deum ex creaturis cognoscere.

Resp.—Conc. maj. et neg. min.—Ad ejus probat. Dist. assert. Aliqui saltem eorum bene de Deo sensissent *quoad aliqua*, Conc.: *quoad omnia*, subd. si *bene ratione sua in discurrendo*, ut *absolute poterant*, usi fuissent, conc.: *secus*, neg. Errores Philosophorum paginorum circa naturam Dei non impotentiam *physicam* verum Deum inveniendi arguunt, sed mere *moralement* ex influxu passionum cum intrinseca operis difficultate conjuncto. Imo, non obstante hoc influxu, fere omnes viri in Philosophia eruditii inter ipsos gentiles unitatem Dei agnoverunt. Nam, ut nihil dicam de Socrate, Platone, Aristotele et aliis, quorum doctrina hac in re apud omnes aperte constat, id de Pythagora, Æschylo, Euripide, Sophocle, Philemone, Orphæo, et aliis late referunt S. Justinus (1) et Lactantius (2): et S. Augustinus in libro quarto de Civitate Dei (3) asserit Philosophos fere omnes de unitate Dei recte sensisse, quamvis plures deos ut virtutes vel partes unius Dei colerent. Idcirco Concilium Va-

(1) S. Justin., *de Monarchia*.

(2) Lactant., *Divin. Inst.* lib. 1. cap. 5.

(3) S. August., *de Civit. Dei*, lib. 4, cap. 11.

ticanum revelationi tantum tribuit ut ea, quæ in rebus divinis rationi humanæ per se impervia non sunt, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint.

21.—Obj. II. Inter finitum et infinitum nulla est proportio. Sed creaturæ sunt quid finitum, Deus vero quid infinitum. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Inter finitum et infinitum nulla est proportio entitatis, Conc.: *habitudinis*, Neg. *Hinc, concessa minore, neg. cons. sub dist. data.* Creaturæ sunt quidem entitates finitæ; sed ex intrinseca sua natura habitudinem seu relationem dicunt ad Deum, ipsarum Creatorem; ac proinde earum cognitione ad Dei cognitionem ducere nos potest.

22.—Obj. III. Ad veram demonstrationem requiritur, ut ex notis ad ignota discurrendo transitus fiat. Atqui ex creaturis ad Deum hujusmodi transitus fieri nequit. Ergo... *Prob. min.* Vel sumuntur creaturæ materialiter et ut entia quædam, vel formaliter et ut ab alio factæ. Si *primum*; conceptu absoluto percipiuntur, ac proinde ad Dei cognitionem non ducunt. Si *secundum*; relationem formalem ad earum Conditorem dicunt; ac proinde ejus cognitionem, non discursivam, sed simultaneam secum ferunt; quia relativa sunt simul re et cognitione. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Ad probationem respondeo multipliciter.

1.<sup>o</sup> Nego *maj. disjunctivam*. Debet enim addi tertium membrum, quo creaturæ in demonstratione sumantur *utroque modo*; et materialiter et formaliter. Considerando namque naturam creaturarum conceptu absoluto invenimus eas esse essentialiter ab alio factas et sic apprehendimus eas conceptu relativi: posito autem hoc conceptu gradatim adscendimus ad *primum* earum factorem seu Deum.

2.<sup>o</sup> *Distinguo primum membrum disjunctionis.* Ad Dei cognitionem non ducunt *immediate*, Conc.: *mediata*, Neg. Creaturæ materialiter sumptæ *immediate* ducunt

ad cognitionem suæ essentiæ, quæ est quid essentialiter relativum et sic mediate cognitionem Dei inferunt.

3.<sup>o</sup> *Distinguo secundum membrum disjunctionis.* Relationem formalem ad Deum dicunt *mediate*, Conc.: *immediate*, Neg. Unaquæque creatura sensibilis immediate a nobis concipitur ut relata ad suam *causam proximam*, quæ est altera creatura; mediate vero ut relata ad suam *causam ultimam* seu Deum. Hinc substantias has sensibiles etiam formaliter ut creaturas apprehendere possumus, quin simul cogitemus Deum.

23.—Obj. IV. Ad productionem unius creaturæ sufficit alia, a qua immediate causatur. Ergo male infertur ex illius productione existentia Dei.

Resp.—*Dist. ant.*—Sufficit *ex parte alia*, a qua immediate causatur, Conc.: sufficit *ex toto*, Neg. Nulla ex his causis, quas nos agere cernimus, continet in se *totam rationem sufficientem effectuum ab illis productorum*, cum causare non valeant nisi quatenus ab alio causatæ seu ad causandum ab alio motæ. Idcirco, præter has causas causatas, agnoscere oportet aliam, quæ causa illarum sit a nulla alia causata. Causam autem causarum ab alia non causatam Deum dicimus. Ergo ex productione cuiuslibet creaturæ recte inferimus existentiam Dei.

24.—Obj. V. Existentialia Dei cognosci nequit, quin cognoscatur ejus essentia; in Deo enim essentia et existentialia identificantur. Sed essentia Dei ex creaturis minime cognoscitur. Ergo nec existentialia.

Res.—*Dist. maj.*—Existentialia Dei cognosci nequit, quin aliquatenus cognoscatur ejus essentia, Conc.: quin *perfecte ac plene* ejus essentia cognoscatur, Neg. Deinde *contradistinguo minorem*: Dei essentia ex creaturis non cognoscitur *plene ac perfecte*, Conc.: non cognoscitur aliquatenus, Neg. Hinc *sub dat. dist. neg. cons.* Quando ex creaturis Deum ratiocinando inferimus, ejus essentiam modo aliquo imperfecto statim cognoscimus; siquidem illum existere deprehendimus sub conceptu *causæ non*

*causatæ seu Entis vi essentiæ suæ existentis et primarii omnium entium ab alio fontis.* Sed conceptus hic postea per reflexionem et attentam meditationem perfici debet, ut Dei essentiam plene pro nostrarum virium tenuitate intelligere possumus.

### ARTICULUS III.

#### De argumento a priori pro Dei existentia a quibusdam adduci solito.

25.—Argumentum *a priori* dicitur illud, quo aliquid ostenditur per suas causas. Hinc manifeste patet existentiam Dei argumento *stricte a priori* minime demonstrari posse. Existentia enim Dei non habet causam; nec *physicam*, quia non est producta; nec *metaphysicam*, quoniam non est quid metaphysice fluens ab essentia sed vere cum ea identificatum; in Deo enim ne virtualiter quidem distinguitur essentia ab existentia, sed hæc de notione illius est. Est autem aliud argumentum *late a priori* dictum, quod *a simultaneo* etiam vocari solet; in quo ejus patroni Dei existentiam *per ejus rationem sufficientem* probare contendunt. Porro argumentum hoc sub diversis formis a Cartesianis propositum in re ab argumento Sancti Anselmi supra refutato non differt: unde non magis quam illud rem evincere dicendum est. Specialem autem considerationem æquo jure sibi vindicat: nostra enim sententia per illud Dei existentia efficaciter ostenditur, si omnimoda Dei possibilitas admittatur. Sint ergo sequentes propositiones.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Dei existentia argumento a priori absolute demonstrari nequit.*

26.—*Demonst.*—Sub triplici forma argumentum prædictum a Cartesianis proponi solet. Prima hæc est: *Deus est ens realissimum: atqui ens realissimum necessario existens est: si enim existentia careret, jam non esset realissimum, cum jam non amplius haberet omnes realitates possibles.* Ergo... Secunda huc credit: *Habemus ideam Infiniti absoluti: atqui idea*

*hæc nequit venire nisi ab ipso Infinito; secus enim idea habens realitatem objectivam infinitam produceretur a causa finita, quod repugnat.* Ergo... Tertia sic se habet: *Dei existentia possibilis est: atqui in Deo possiblitas non distinguitur ab existentia: ergo Dei existentia realis est, seu Deus realiter existit.* Hæc est triplex forma, sub qua argumentum prædictum a Cartesianis proponitur. Atqui sub nulla illarum absolute probat. Nam in prima et tertia supponitur possibilis existentia Dei seu Entis realissimi; quin tamen evidens per se sit aut a priori demonstrari valeat. In secunda vero asseritur repugnare, ut idea habens realitatem objectivam infinitam modo quodam obscuro et imperfecto repræsentatam, qualis est nostra idea Infiniti absoluti, produci valeat a mente nostra finita: quod minime verum est, cum idea hæc sit actus quidam intellectus ex mentis nostræ activitate procedens et simplex quædam modificatio animæ nostræ vires ejus finitas non excedens. Præterquam quod, si quid ex hac secunda forma evincitur; vere argumento *a posteriori* obtinetur: in ea enim ex natura cuiusdam facti, qualis est idea Infiniti in nobis existens, existentia primæ causæ concluditur. Ergo...

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Dei existentia argumento a priori hypothetice demonstrari potest, supposita nempe reali ejus possibilitate.*

27.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Si Deus vere et realiter possibilis est, vere ac realiter existit. Ergo Dei existentia argumento a priori hypothetice demonstrari valet.

*Prob. ant.*—1.<sup>o</sup> Si Deus non existit, repugnat ejus existentia; siquidem produci nequit neque a se ipso, nec ab alio, cum sit ens vi essentiæ suæ existens et causa ab alia non causata. Ergo si Dei existentia non repugnat, vere a parte rei existit. 2.<sup>o</sup> Causa prima nequit esse in statu puræ possibilitatis; sed aut impossibilis est, aut realiter existit: nam repugnat causam primam existere, si aliquando non exitit (O. 437). Sed Deus, cujus existentia supponitur realiter possibilis, est ipsa causa prima. Ergo si Deus realiter possibilis est, vere ac realiter existit.

### Solvuntur difficultates.

28.—Obj. I. Non licet in argumentatione e statu idealis ad realem transitum facere. Sed in argumentatione, qua ex Dei possibilitate ostenditur ejus existentia, hic transitus fit. Ergo nullo modo probatur a priori Dei existentia.

Resp.—*Dist. maj.*—Non licet in argumentatione e statu idealis ad realem transitum facere, quando agitur de meritis entibus rationis, *Conc.*: quando sermo est de entibus realibus, *Subd.*: si in iis entibus non connectitur essentialiter existentia realis et physica cum eorum possibiliitate, *conc.* iterum: si connectatur, ut accidit in Deo, neg. Entia rationis intrinseca possibilitate carent: entia vero realia sed indifferentia de se ad existendum vel non existendum non connectuntur essentialiter cum existentia physica: idcirco, quando de illis sermo est, non licet ex eorum possibiliitate existentiam physicam inferre. Ast aliter se res habet, quando agitur de Deo seu Ente a se, ut ex ostensis patet.

29.—Obj. II. In arguento, quo ex possibiliitate Dei probatur ejus existentia, fit transitus ex impossibilitate extrinseca ad intrinsecam: dicitur enim Deus impossibilitate intrinseca contra hypothesim factam destitui, quia nec a se nec ab alio produci potest. Sed transitus hic illegitimus est. Ergo...

Resp. 1.<sup>o</sup>—*Neg. maj.*—Ad ejus vero probationem dico causalem illam in arguento non adduci, ut ex impossibilitate extrinseca fiat transitus ad intrinsecam, sed ut ostendatur naturam possibilitatis intrinsecæ in Deo esse talem, ut essentia liter postulet esse actuatam sine ulla Dei productione.

Resp. 2.<sup>o</sup>—*Trans. maj. et neg. min.*—Possibilitati intrinsecæ respondet extrinseca, ita ut ex una ad alteram arguere liceat; cum non detur objectum sine potentia, nec potentia sine objecto. Proinde, si Deus in statu puræ possabilitatis supponatur, et deinde negetur existentia cause aptæ ad illum producendum; vere duo contradictoria simul affirmantur.

ARTICULUS IV.<sup>7108</sup>

De argumentis quibus vere existentia Dei  
a posteriori demonstratur.

30.—Argumenta, quibus vere et absolute existentia Dei ostenditur, ex effectibus sumi debent, quibus Deus perfectiones suas manifestat: unde ex illis demonstratio *a posteriori* conficitur. Sunt autem argumenta hæc triplicis generis; *metaphysica* scilicet, *physica* et *moralia*. Hinc de singulis totidem paragraphis separatim agemus.

§ I.—ARGUMENTA METAPHYSICA.

31.—Argumenta metaphysica *illa* vocantur, *quæ ex ordine metaphysico petuntur*. Quatuor autem pro Dei existentia proferemus; primum ex motore immobili, secundum ex producente improducto, tertium ex ente absolute necessario, quartum denique ex ente perfectissimo. Sumimus autem hic motum in sensu, non physico, sed metaphysico, pro actuatione scilicet entis existentis in potentia vera et reali ad aliquam formam seu perfectionem; sive hoc ens sit materiale, sive spirituale: nam si motum in sensu physico sumeremus et prout solis corporibus convenit, argumentum non metaphysicum sed physicum conficeremus; cum motus hujusmodi ad ordinem physicum spectet. Sit itaque sequens

PROPOSITIO.

*Argumentis metaphysicis demonstratur existentia Dei.*

32.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Admittendus est in mundo motor aliquis omnino immobilis, qui moveat omnes res, quas in continuo motu esse videmus, et ipse immotus permaneat. Sed motor hujusmodi Deus est. Ergo... Minor patet: nam motor omnino immobilis nec movetur ad esse, nec ad modos essendi; ac proin-

de est verum ens a se et causa non causata, quod totum nomine Dei intelligimus. Sola ergo major probanda est. Hæc autem sic ostenditur: *Omne quod movetur, ab alio movetur*: atqui in motoribus motis necessario deveniendum est ad aliquem, qui moveat non motus. Ergo... Major hujus syllogismi, evidens est. Nam omne mobile, quatenus movetur, est in potentia respectu formæ per motum recipiendæ: e contra omnis motor, quatenus movens, est in actu respectu formæ per motum impressæ. Impossibile autem est, ut idem secundum idem sit in actu et potentia: quia secundum quod esset in actu, quandam perfectionem haberet; et secundum quod esset in potentia, illa eadem perfectione careret; quod est contradictionem. Ergo necesse est, ut omne quod movetur, ab alio moveatur. Minor vero sic evincitur: Si omne quod movet, ab alio moveri dicatur, oportebit admittere processum infinitum in motoribus motis; ita ut hic eatenus moveat, quatenus movetur ab alio, et hic ab alio sine fine. Atqui processus hic admitti nequit: nam in serie motorum hujusmodi unusquisque movet in virtute suorum præcedentium; proximus scilicet in virtute omnium cæterorum et intermedii in virtute primi: unde sublato per processum infinitum primo, causalitas reliquorum impossibilis evadit. Ergo in motoribus motis necessario deveniendum est ad aliquem omnino immotum.

2.<sup>o</sup> Impossibile est, ut omnia entia, quæ in hoc universo existunt, sint facta. Ergo necessario admittendum est aliquod ens infectum seu a se, quod Deum nominamus. *Prob. ant.* Si omnia entia, quæ in hoc universo existunt, facta supponantur: necessario admittendum erit aliquod ex illis, quod proxime vel remote sibi ipsi primam existentiam tribuerit. Sed hoc admitti nequit, ut patet ex ostensis in Ontologia

(O. 421). Ergo... *Prob. maj.* Entia illa producta vel producta a se ipsis dicuntur, vel ab alio. Si *primum*; habetur intentum. Si *secundum*; illud aliud, a quo facta supponuntur, fieri debuit ab aliquo ex reliquis a se factis, ac proinde remote a se ipso; quia *quod est causa causæ, est etiam causa causati*.—Nec vero prodest adversariis recursus ad processum in infinitum: nam hoc processu non vitatur necessitas admittendi aliquod ens improductum. Et re quidem vera, admisso etiam hoc processu, tota causarum infinitarum collectio erit prædicta: quod enim essentialiter convenit partibus, essentialiter etiam convenit toti; ac proinde, cum singulæ ex infinitis causis essentialiter sint ab alio, tota quoque earum collectio essentialiter ab alio erit. Jam vero illud aliud poni nequit *intra* collectionem prædictam; quia sic deberet dici productum ab aliquo ex aliis a se causatis ac proinde etiam a se ipso, quod repugnat. Ergo debet *extra* illam statui ac proinde erit necessario improductum.

3.<sup>o</sup> Impossibile est, ut omnia prorsus entia hujus universi sint contingentia seu indifferentia ex se ad existendum vel non existendum; quia sic tota illorum collectio eadem indifferentia laboraret et proinde sine ratione sufficiente suæ existentiæ existeret; quod repugnat. Ergo aliquod ex illis necessarium sit oportet. Jam vero hoc vel habet suam necessitatem ex se ipso, vel ex alio. Si *primum*; erit absolute necessarium ac verus Deus. Si *secundum*; de illo alio eadem instituetur quæstio: et cum nequeat fieri processus in infinitum ob dicta in argumento præcedente, tandem sistendum erit in aliquo absolute necessario, quod vi suæ essentiæ existat et sit verus Deus.

4.<sup>o</sup> a) *Admittendum est in rebus aliquid, quod sit optimum, et nobilissimum, et maxime ens.* Magis enim et minus dicuntur de diversis, secundum quod diversimode appropinquant ad aliquid, quod maxime est; sicut magis calidum est, quod magis appropinquit ad maxime calidum. Unde sicut vivens magis est, seu magis rationem entis participat quam non-vivens,

et sapiens magis quam non sapiens; ita etiam illud ens, quod omnibus aliis specie inferioribus excellentia ac nobilitate præstabit, maxime illis omnibus erit; sive unum numero sit, sive multiplex in sua natura; nam hic de gradibus essentialibus tantum loquimur. *b)* Deinde, *quod maxime est in aliquo genere, est causa omnium, quæ sunt illius generis.* Nam quæcumque inferiora sunt in aliquo genere, perfectionem suam ab alio participatam habent: quæ enim natura ipsa in rebus sunt, eodem gradu perfectiones omnibus insunt. Unde si *sapientia* ex. gr. *natura* et non participatione hominibus conveniret, non magis sapiens esset unus quam alius, sicut non est magis homo. Quodsi inferiora alicujus generis perfectionem suam participatam habent; ab illo eam recipiant oportet, quod in illo genere maxime est; neque enim superiora ab inferioribus, sed inferiora a superioribus recipere debent. *c)* Denique, *quod de singulis generibus dicitur, hoc etiam de genere omnium generum seu universalissimo propter easdem rationes dicatur necesse est.* Hoc autem genus universalissimum est ens; sub quo omnia entium genera continentur, et cujus rationem singula eorum pro diversitate sui gradus magis vel minus participant. Ergo omnia entium genera ab illo entitatem suam recipere dicenda sunt, quod in gradu essendi illis omnibus antecellit et maxime est. Atqui illud a quo omnia entium genera entitatem suam accipiunt, vocatur Deus. Ergo Deus existit (1).

### Solvuntur difficultates.

33.—*Obj. I.* Argumentum ex diversis motoribus desumptum non probat admittendum esse motorem omnino immotum. Nam motor ille primus potest moveri a se ipso, sicut se movent omnia viventia et præcipue libera hominis voluntas. Ergo...

*Resp.—Neg ant.*—Ad rationem additam *nego prorsus assertum.* Ut primus motor moveri posset, deberet esse

---

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* I. p. q. 2, a 3.; item *cont. gent.* lib. 2, cap. 15. Cfr. quoque Suarez, *Metaphys.* disp. 29, sect. 1.

in potentia respectu formæ per motum in eum introducendæ: et ut se moveret, deberet esse in actu respectu ejusdem formæ; quia nemo dat quod non habet. Esse autem in potentia et in actu respectu ejusdem est contradictorium; sicut contradictorium est aliquid habere simul et non habere. Nec aliquid valent exempla in contrarium adducta. Nam viventia non se movent secundum se tota, sed per unam partem existentem in actu movent aliam existentem in potentia: et libera hominis voluntas movet se, non ut movens non motum, sed ut mota ab objecto appetibili et ut existens in potentia ad illius motionem recipiendum. Unde sicut appetibile, eo quod sit primus motor in genere appetitionis, immobile prorsus est et movere se ipsum nequit; ita idem dicendum de primo motore absoluto.

34.—Obj. II. In argumentis secundo et tertio transitus fit a sensu distributivo ad collectivum. Sed hic transitus non licet. Ergo utrumque argumentum nullius valoris est.

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—Transitus prædictus non licet, quando agitur de rebus accidentalibus, aut de his quæ asseruntur ratione distributionis præcise, *Conc.*; quando sermo est de rebus essentialibus, aut de iis quæ omnino a distributione et collectione præscindunt, *Neg.* Hinc, *sub data distinctione nego consequentiam*. In duobus argumentis de rebus essentialibus agitur et a distributione præscindentibus: consequenter quod singulis collectionis partibus convenire deprehenditur, jure optimo collectioni ipsi in eis tribuitur.

Inst.—Licet res factibiles sint infinitæ, non ideo tamen potest existere multitudo rerum factarum actu infinita. Ergo a pari, licet singula entia sint contingentia; non ideo licebit concludere totam illorum collectionem posse non esse.

Resp.—*Neg. parit.*—Plus requiritur ad existendum quam ad non existendum: proinde quamvis nequeat supponi actu existens multitudo infinita rerum factibilium, optime supponi poterit non existens tota multitudo infinita entium contingentia.

tium. Præterea, in collectione infinita actū existente reperiuntur inconvenientia quædam ex rebus actū existentibus exorta: at vera in collectione entium contingentium statum puræ possibilitatis habente nullum inconveniens ex rebus ipsis oriri potest, cum collectio illa nihil sit extra intellectum. Patet ergo nullam esse paritatem in argumento facto.

35.—Obj. III. Supposito processu in infinitum causarum causatarum, nulla est necessitas admittendi causam non causatam; quia unaquæque ex illis causis habebit suam causam a qua producta sit. Sed processus ille saltem probabiliter fingi potest: nam Sanctus Thomas sola revelatione sciri cum certitudine posse afirmat non extitisse in mundo seriem generationum infinitam seu ab æterno (1). Ergo...

Resp.—Neg. maj.—Ad rat. addit. *dist assert.*: Unaquæque ex illis causis causatis habebit suam causam *inadæquatam*, Conc.: *adæquatam*, Neg. Si singulæ causæ essentialiter productæ supponantur, tota illarum collectio essentialiter etiam producta erit; quia quod essentialiter convenit partibus, essentialiter quoque convenit toti. Proinde unaquæque ex illis causis causatis cum tota serie infinita causarum illam præcedentium non continet nisi rationem *inadæquatam* effectus per eam producti; et ratio *adæquata* in concursu ejusdem et causæ primæ tantummodo inveniri valet.

36.—Obj. IV. Argumentum ex diversitate gradu um in entibus hujus mundi existentium desumptum nihil prorsus valet. Nam: 1.º Gratis omnino dicemus hominem perfectissimum esse causam cæterorum hominum, aut plantas omnes ex planta omnium perfectissima originem ducere: ergo sine ullo fundamento asseritur perfectissimum in unoquoque genere esse causam omnium, quæ in eodem genere sunt. 2.º Si argumentum aliquid valeret, formas Platoniorum per se subsistentes restauraret: nam in uno-

---

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 46, art. 2.

quoque entium genere statuendum esset aliquid optimum per se subsistens, quod causa sit omnium ad illud genus pertinentium. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. 1.<sup>am</sup> *Conc. ant. et neg. conseq.* Quando dicitur perfectissimum in unoquoque genere esse causam cæterorum ad idem genus pertinentium; intelligendum hoc est, non de gradibus accidentalibus propter quos individua inter se distinguuntur, sed de gradibus substantialibus; quales sunt *subsistere* in mineralibus, *vivere* in plantis et *intelligere* in homine. Propter gradus enim accidentales extra essentiam vagantes unus homo non est magis homo quam aliis, nec una planta magis participat rationem plantæ quam alia. Jam vero loquendo de gradibus substantialibus verum est dicere unumquodque ex subsistentibus ab illo habere suum esse substantiale, quod maxime subsistit, et unumquemque ex intelligentibus ab illo quod maxime intelligens est: quia non superiora ab inferioribus sed hæc ab illis recipere debent.

Ad rat. 2.<sup>am</sup> *Nego assertum cum ejus probatione.* Nam illud quod maxime est, est etiam maxime subsistens, et maxime vivens, et maxime intelligens: et ita nulla sequitur ex argumento necessitas statuendi plura per se subsistentia, sed unum e contra tantummodo admittere oportet.

37.—*Obj. V.* Ex argumentis adductis sequitur quidem admittendum esse ens aliquod absolute necessarium et a se, ex quo omnia hæc sensibilia processerint; non autem hoc ens esse unum numero. Atqui donec ostendatur Dei unitas, non demonstratur ejus existentia, quia Deus verus unus tantum numero est. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Ex argumentis etc. non sequitur *immediate* ens absolute necessarium, ex quo hæc sensibilia processerunt, esse unum numero, *Conc.*: non sequitur *ullo modo, nec etiam remote*, *Neg.* Deinde, *contrad. min., neg. conseq.* Ad demonstrandam existentiam Dei sufficit, ut ostendamus aliquod attributum proprium et exclusivum Divinitatis; quia jam virtualiter manifestatur tota

Dei essentia, cum omnia ejus attributa invicem se includant. Porro, si ad ostendendam existentiam Dei necessarium esse dicatur ostendere ejus unicitatem; pari ratione dicere oportebit non demonstrari Dei existentiam, donec omnia ejus attributa expresse demonstrentur. Deus enim verus, non solum unus numero seu unicus, sed etiam simplex, omnipotens, omniscius, liber, etc., etc. in se ipso est. Hoc autem nemo Philosophorum exigit: ergo idem de illo asserendum est.

38.—Obj. VI. Sed dices cum sceptico Kant: Ens absolute necessarium, quod in demonstratione cosmologica ex principio causalitatis deducitur, pugnat cum ipso principio causalitatis; nam ens hoc existit sine causa. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *neg. conseq.* Principium causalitatis non dicit, omne ens habere causam, sed omne ens *productum tantum*, seu *omnem effectum*: ens autem absolute necessarium non est effectus. Futilis ergo est argumentatio kantiana.

39.—Obj. VII. Argues iterum cum eodem Philosopho: Argumentum ontologicum, quo ex idea Dei ejus existentia infertur, nullum est. Atqui in argumentatione, qua ex absoluta existendi necessitate infinita perfectio entis absolute necessarii infertur, idem paralogismus ac in arguento ontologico invenitur. Ergo... *Prob. min.* Argumentatio illa sic se habet. *Ens absolute necessarium est ens a se: ens a se est infinite perfectum: ergo ens absolute necessarium est absolute perfectum.* Atqui minor hujus syllogismi est ipsa propositio stantium pro arguento ontologico seu demonstratione a priori: potest enim inverti hoc modo: *Ens infinite perfectum est ens a se, seu necessario existit.* Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Ad prob. *conc. maj. et dist. min.* Minor praedicti syllogismi est eadem etc., *et diversis circumstantiis afficitur, Trans.; et iisdem circumstantiis vestitur, Neg.* In syllogismo hoc supponitur jam

demonstrata existentia ac proinde etiam possibilitas entis absolute necessarii; quod non accidit quando in argumento ontologico contendunt quidam demonstrare Dei existentiam *ex sola idea abstracta* entis realissimi.

## § II. ARGUMENTA PHYSICA.

40.—Argumenta physica *ea dicuntur, quæ ex ordine physico petuntur*. Porro argumenta hujusmodi tot efformari possent, quot res naturales in hoc universo existere cernuntur: omnes enim splendente ipsarum ordine mirabilem Conditoris sui sapientiam atque virtutem prædicant. Nos autem brevitatis causa duo tantum proferemus; unum nempe ex mira harmonia hujus universi, quod *μακροκοσμός* seu *magnus mundus* dicitur, alterum vero ex pulcherrima hominis compagine atque structura, qui non immerito *μικροκοσμός* seu *parvus mundus* a Philosophis nuncupatur. Sit itaque sequens

### PROPOSITIO.

*Argumentis quoque physicis existentia Dei invicte ostenditur.*

41.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Mirabilis ac constans ordo, qui in tota hac rerum universitate relucet, auctorem sibi postulat sapientissimum, quem Deum nominamus. Ergo... *Probatur antecedens per partes*. Et quidem *primo*, quod auctorem sibi postulet, manifestissime patet ex his, quæ in Cosmologia circa ordinem mundanum disseruimus: ibi enim ostendimus mirabilem hunc ordinem non potuisse casu contingere (C. 120). Hic vero sufficiat sequentia verba addere Doctoris Angelici: «Videmus enim, quod aliqua, quæ cogitatione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem; quod appareat ex hoc quod semper aut frequentius eodem modo operantur, ut consequantur id quod est optimum. Unde patet quod, non a casu, sed ex intentione perveniant ad finem. Ea autem, quæ

non habent cognitionem, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, sicut sagitta a sagittante: ergo est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem, et hoc dicimus Deum (1).» *Deinde*, quod ordinator hic debeat esse sapientissimus, ex numero et diversitate rerum ordinandarum apertissime elucet. Nam: *a)* Si ad intelligendum vel minima ex parte pulcherrimum ordinem in hac rerum universitate fulgentem maxima scientia requiritur, multo et incomparabiliter major necessaria erit ad illum ex integro excogitandum. *b)* Scientia eo major esse debet in artifice, quo res ordinandæ plures sint et diversitate et numero. Sed res hunc mundum conflantes diversissimæ sunt ac fere numero carent. Ergo scientiam postulant in ordinatore excellentissimam et omni cogitatione majorem. *c)* Scientia hæc in immensum crescere debet, ut possit artifex immensæ huic machinæ ac complicatissimæ perennem stabilitatem, qua pollet, conferre: innumeræ namque sunt combinationes, quæ mundi ordinem perturbare possent, quasque omnes artifex vitare debuit, ut hic ordo perpetuo immobilis persisteret. Ergo manifestum est ordinem hujus universi ordinatorem sibi sapientissimum postulare.

2.<sup>o</sup> Mirabile atque stupendum artificium, quod in universa hominis compage atque structura reluet, existentiam quoque sapientissimi sui conditoris manifeste prædicat. Nam: *a)* Totum illius corpus mirabilis atque stupendi artificii est. *b)* Unumquodque organum ad producendas sensations destinatum vere *miraculum atque portentum artis* dici debet: sufficit enim *oculorum* ex. gr. structuram attente examinare, ut in ea incomprehensibilis divini Artificis sa-

---

(1) S. Thom., *Summ. Theol.* I. p. q. 2, art. 3.

pientia clarissime impressa videatur. *c)* His adde facultates quibus anima ad cognoscendum atque ad libere volendum instruitur, quæ sane pulcherrimæ sunt ac vere mirabiles. *d)* Denique stupenda animi spiritualis cum corpore materiali copulatio sapientiam hanc longe etiam admirabiliorum atque incomprehensibiliorem esse docet: talis enim tantaquæ est, ut nullus unquam Philosophorum ad hæc usque nostra tempora eam plene explicare potuerit, nec, ut puto, in posterum explicabit. Ergo.....

### Solvuntur difficultates.

42.—Obj. I. Ordo hujus mundi casu accidere potuit: actualis enim elementorum combinatio est una ex omnibus possibilibus, quæ per elementa mundana efformari possunt. Ergo ex illo minime probatur existentia Dei.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *dist. assert.*: Actualis combinatio elementorum est una ex possibilibus, quæ per elementa mundana efformari possunt *arte et industria*, *Conc.: casu*, *Neg.* Difficultas hæc cum aliis hujusmodi jam abunde soluta est in Cosmologia, ubi de ordine mundo egimus.

43.—Obj. II. Saltem existentia Dei minime ostenditur ex ordine prædicto: hic enim, utpote ex elementis numero finitis compositus, finitus est ac finitam proinde tantummodo potentiam postulat. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *Conc. ant. et neg. cons.* Quamvis ordo prædictus finitum quid in se sit, non ideo tamen desinit infinitam sapientiam in auctore suo postulare; sicut entitas ipsa rerum ordinandarum, licet finita, per solam potentiam infinitam produci valet. Ratio est, quia artesactum totum ex illo ordine resultans nimis magnum videtur, ut per intelligentiam ullam finitam excogitari ac produci potuerit; præsertim cum in eo inveniantur etiam creaturæ liberæ, qua-

rum ordinatio et dispositio ab eo solo convenienter fieri valet, qui eas e nihilo condidit virtute suæ potentiae infinitæ. Ceterum ad Atheos refutandos sufficit existentiam alius ordinatoris sapientissimi ex ordine hujus mundi ostendere, licet ordo hic ex se infinitam sapientiam non postulet: hoc enim supposito, facile per alia argumenta infinita hujus ordinatoris virtus ostendi potest.

### § III.—ARGUMENTA MORALIA.

44.—Argumenta moralia vocantur *ea, quæ desumuntur ex ordine morali*. Duo autem hic proferemus, unum ex fonte moralitatis et alterum ex communi hominum sensu.

#### PROPOSITIO.

*Argumentis denique moralibus manifeste probatur existentia Dei.*

45.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Impossibile prorsus est, ut primum et fundamentale principium totius humanæ honestatis sit *error*, primum autem et fundamentale principium vitiorum sit *veritas*. Si enim contingret, natura humana pessime conformata esset: unde homines, ad illam reformatam, deberent tamquam verum suum bonum vitium de industria quaerere, et virtutem tamquam verum suum malum fugere; quod quidem et absurdum in se est et vitam socialem impossibile reddit. Atqui persuasio existentiæ Dei est fons et origo totius honestatis in hominibus religiosis, et e contra judicium non existentiæ ejusdem est fons omnium vitiorum in Atheis: illa enim incitantur efficaciter colentes Deum ad sectandam virtutem spe præmiorum et pœnarum metu; hoc vero moventur Atheti ad indulgendum passionibus, in voluptatibus præsentis vitæ totam suam felicitatem constituendo. Ergo...

2.<sup>o</sup> a) Nullus prorsus inventus est unquam populus sine aliquo Numine, cuius existentiam admireret ac majestatem veneraretur; ut nostro etiam tempore, post cognitas omnes terrae gentes, verissimum inventiatur id quod multis abhinc annis dicebat Plutarchus, haec scribens: «Si terram obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes..... Urbem vero templis, diisque destitutam, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de diis penitus sublata, civitatem coire aut constare (1)». b) Universalis haec, constans et uniformis persuasio non nisi in ipsa rationalis humanae natura fundamentum suum habere potest. Illa enim sola habet conditiones universalitatis, constantiae et uniformitatis, quae huic persuasioni convenient; dum e contra omnis alia causa, quales sunt metus, legislatorum fraud, sacerdotum dolus et aliæ hujusmodi ab Atheis assignari solitae, est mere particularis et transitoria, atque idcirco impotens prorsus ad producendum universaliter, constanter et uniformiter effectum memoratum. c) Denique persuasio haec in ipsa rationalis humanae naturae fundata manifeste ostendit Dei existentiam. Natura enim humana non nisi ad verum sponte sua tendit: unde quidquid in rebus praesertim moralibus ab universo genere humano semper et ubique pro vero sanctoque habetur, illud verum sanctumque existat necesse est. Ergo... Hinc illud Tullii: «Cum non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio; intelligi necesse est esse deos, quoniam insitas eorum vel potius inna-

---

(1) Plutarchus, *Contra Coloten Epicur.*



tas cognitiones habemus (1)» Et Seneca: «Multum dare solemus præsumptioni omnium hominum: apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri: tamquam deos esse sic colligimus, quod omnibus deis opinio insita sit, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos deos credat (2)». Et sane ut idem laudatus Cicero observat, «de quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est (3)». Et Aristoteles: «Quod naturale, illud commune est. Quidquid enim homines quasi instinctu judicant, id naturaliter justum vel injustum est (4)». Atque hac est causa, cur tale judicium semper immobiliter permaneat. Nam, ut optime Cicero, «opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat (5)».

### Solvuntur difficultates.

46.—Obj. I. Testimonium generis humani hac in re nullius valoris est: secus enim eodem modo probaret admittendos esse plures deos. Ergo...

Resp.—*Neg. ant. cum ejus probatione.*—Testimonium generis humani in ordine ad pluralitatem deorum non habet conditiones, quæ in eo esse debent ut possit esse criterium veritatis. Non enim fuit *universale*, cum et populus hebræus et fere omnes Philosophi pro Dei unitate starent; nec *constans*, cum adveniente christianismo polytheismus e toto orbe disparuerit; nec *a recta ratione ortum*, cum ejus origo pravis hominum passionibus debeatur; nec denique *processu scientiarum confirmatum*, cum potius scientiæ ac præcipue Philosophia eum inter magnos errores computandum esse doceant. E contra circa simplicem Dei existentiam testimonium sensus communis omnibus

---

(1) Cicero, *De natura deorum*, lib. 1, cap. 17.

(2) Seneca, *epist. CXVII.*

(3) Cicero, *loc. cit.*

(4) Aristoteles, *Rhetor*, lib. 1, cap. 13.

(5) Cicero, *De natura deorum*, lib. 2, cap. 2.

infallibilitatis characteribus insignitur, cum sensus communis hac in re sit universalis, constans, a recta ratione ortus et scientiarum cultura confirmatus.

47.—Obj. II. Sensui communi etiam circa simplicem Dei existentiam deest character universalitatis; nam omni tempore extiterunt Athei, qui opinionem de Dei existentia inter vanas credulitates computarint. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *dist. assert.* Omni tempore extiterunt Athei, *pauci numero et nullius auctoritatis homines*, qui proinde moraliter *unanimen populum in admittenda Dei existentia consensum integrum prorsus relinquunt*, Conc.: *multi numero et tales, ut prædictum consensum labefactent*, Neg. Athei omni tempore fuerunt pauci et ut *monstra naturæ semper inter homines habiti sunt*: unde consensum generis humani circa Dei existentiam perturbare nunquam potuerunt.

48.—Obj. III. Quo magis crescit apud gentes scientiarum et artium cultura, eo debilior evadit in eis religionis virtus. Ergo judicium sensus communis circa existentiam Dei non firmari sed debilitari processu scientiarum dicendum est.

Resp.—*Dist. ant.*—Quo magis etc., eo debilior evadit in eis religionis virtus *ratione vitiorum, quibus ordinarie se tradunt*, Conc.: *ratione ipsarum scientiarum et artium*, Neg. Cultura scientiarum et artium inventiunt homines media, quibus et divitias sibi comparent et largius voluptatibus indulgeant: quo fit, ut quæ religionis sunt parum current, et bona sensibilia ardenter quærant. At vero scientiæ ipsæ ac præcipue Philosophia non debilitant religionis virtutem, sed e contra roborant; et quidem eo fortius, quo plenius ac perfectius possidentur.

49.—Obj. IV. Idea Dei ignorantiae causarum naturalium debetur. Cum enim viderent homines hujus mundi sensibilis ordinatos motus, nec possent eos per causas naturales explicare, ad causam supernatu-

ralem confugerunt more poetarum, qui veluti ex machina in scenam deos adducunt (1). Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *dist. assert.* *Et ita ratiocinantes sapientissime discurrerunt*, Conc: *insipient*, Neg. Sapientius profecto discurrit vulgus existentiam divini Artificis in magnifico illius artefacto agnoscendo, quam Athei in tribuendo illud casui et fortuito atomorum concursu: nec vulgus in hoc ignorantiae culpari debet, sed potius Athei, qui vitiorum suorum pondere oppressi oculos ultra sensibilia extendere nequeunt.

50.—*Obj. V.* Ideam Dei metus proprie in hominibus genuit. Cum enim imbecilles et infirmos se sentirent, facile naturas quasdam intellectuales et invisibilis finxerunt, quarum arbitratu hæc omnia mundana regerentur; et has naturas deos vocaverunt, obsequioque atque adoratione colere studuerunt. Hinc celebre illud Lucretii: *Primos in orbe deos fecit timor*. Ergo...

Resp.—*1.º Trans. ant. et neg. conseq.* Etiamsi metu fuisse primos homines inductos singant Athei ad opinionem de Deo concipiendam, nihil omnino proficiunt. Metus enim hic, utpote universalis et humanæ rationi prorsus conformis, ab ipsa natura recta hominibus impressus dicendus erit; ac proinde judicium ad quod mentes omnium hominum impulit, necessario ut verum habendum erit, cum natura recta ex se ad falsum impellere nequeat.

Resp.—*2.º Neg. ant. cum ratione pro eo allata.* Profecto, si ex metu idea Dei in hominibus nata fuisse, Deum quemdam truculentum et terribilem, non autem amabilem et

---

(1) Ita Lucretius, hæc scribens lib. 5, v. 1182.

Præterea cœli rationes ordine certo  
Et varia annorum cernebant tempora verti,  
Nec poterant quibus id fieret cognoscere causis.  
Ergo perfugium sibi habebant, omnia divis  
Tradere, et illorum mutu facere omnia flecti.

summe beneficum cogitassent. Contrario autem res accidit: Deum enim homines semper putaverunt naturam quamdam bonitate plenam et largitate laudandam, justorum amicam, solisque criminosis infestam. Scilicet optimo consilio, natura duce, existimaverunt pulcherrimum hunc mundum sine auctore esse non posse, sicut horologium sine horologiaro esse nequit; sed e contra et mundum et ipsos homines de hujus benefici Numinis largitate descendere.

51.—Obj. VI. Opinio vulgi de Numinis alicujus existentia versutiae primorum legislatorum tribuenda est. Hi enim optimum putarunt hoc esse inventum ad populos sibi subjectos in suo officio conservandos, et existentiam cujusdam divini Numinis eis persuadere conati sunt. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Legislatores antiqui auxilio religionis suas leges confirmare studuerunt, quia videbant suos subditos jam religione affectos et supremum aliquod Numen venerantes: unde idea Dei in populis antiquior quovis legislatore est. Porro, si historias consulamus, hoc modo se rem habuisse facile reperiemus. Nam Amasis et Mnevis apud Ægyptios ab Herma, Zoroaster apud Bactrianos et Zamolxis apud Getas a dea Vesta, Zathraustes apud Arimaspos a bono genio, Rhadamantus et Minos apud Cretenses a Jove, Triptolemus apud Athenienses a Cerere, Pythagoras et Zaleuchus apud Crotoniates et Locrenses a Minerva, Lycurgus apud Lacedæmones ab Apolline, Romulus a deo Conso, Numa a nympha Ægeria, Sertorius denique apud Hispanos a Diana suas leges accepisse dicebant. Nec vero aliter res esse poterat: secus enim difficile omnino suis populis persuasissent existentiam horum Numinum idea omni Divinitatis destitutis; et difficilius adhuc in concepta de Deo opinione universi ad hunc usque diem perseverarent homines, Atheos quosvis inter horrenda naturæ monstra compitantes.

Inst.—*Quomodo ergo fieri potuit, ut singuli populi suos deos haberent, si hoc diversæ indoli legislatorum non tribuatur?*

Resp.—Hoc ex levitate ipsius vulgi ortum fuit: qui parum putavit habere Deum communem om-

nium hominum parentem, et universi generis humani res generali providentia curantem; sed deos habere voluit indigenas et locales, qui sibi suisque rebus specialiter invigilarent. Porro hac vanitate ducti populi paulatim ex monotheismo ad polytheismum declinaverunt: monotheistas enim fuisse primos homines in singulis gentibus origines populorum haud obscure enuntiant.

## ARTICULUS V.

### De atheis.

52.—*Athei illi dicuntur, qui sine Deo sunt, seu Dei cognitione destituti jacent.* Athei in *speculatorios* et *practicos* communiter dividuntur. Hi Deum quidem cognoscunt, sed tamen ita turpiter vivunt, ut eum penitus ignorare videantur: illi vero Deum aut numquam cogitarunt et *negativi* vocantur; aut cogitarunt quidem, sed tamquam rem fictam habent et positive rejiciunt, unde et *positivi* nuncupantur. His positis, vindendum est an et quo sensu sint possibles Athei, et quinam sint atheismi fontes ac fructus breviter dicendum.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Existunt Athei non solum practici, sed etiam speculatorivi, qui Dei existentiam positive rejiciunt.*

53.—*Demonst.*—Utraque propositionis pars perpetua experientia constat. Omni enim tempore inventiuntur homines, qui voluptatibus corporis et bonis omnibus hujus vitae ita inhiant, ut, lege Dei contemplata, nec Deum timeant, nec virtutis amore capiantur. Omni etiam tempore extiterunt homines improbi, qui Deum inter pura rationis figmenta computarunt,

eumque quæsitis argumentis impugnare studuerunt; in quorum numero recensendi sunt omnes, qui hac nostra ætate perfectum materialismum sectantur. Ergo...

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Existere possunt Athei speculativi, qui Deum verum aliquo modo ignorant; non autem qui omni prorsus Dei cognitione careant, saltem per longum tempus.*

54.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Experientia constat existere homines polytheistas, qui plures deos adorant. Sed hi verum Deum ignorant; cum nullus ex diis, quos ipsi admittunt, verus Deus sit. Ergo...

55.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Fieri nequit, ut homo perfectum rationis usum adeptus longo tempore vivat, quin Dei notio, obscura saltem et sub aliquo prædicato converibili cum Deo Divinitatem repræsentans, in eo oriantur. Nam: a) Ex hominum commercio, quibuscum vivit, non potest non haurire hanc notitiam; cum impossibile sit, ut nullus ex eis intra longum tempus coram ipso de rebus religiosis aut moralibus loquatur. b) Ex naturali appetitu felicitatis et ex impotentia rerum creatarum ad illum explendum non potest non, aliquando saltem, incitari ad cogitandum existere debere bonum aliquod omni creatura melius, quod capax sit eum beandi; et tunc aliquam Dei notitiam, licet obscuram, adquiret. c) Ex boni malique moralis conscientia necessario deducetur ad cognitionem alicujus legislatoris summi, cuius mandata absolute violare non liceat: et tunc sub hac forma legislatoris summi vere Deum noscet; legislator enim, cuius mandata absolute et nullo in casu violare licet, solus Deus est. d) Ex consideratione denique sui ipsius et



totius hujus universi sensibilis naturaliter impelletur ad cogitandum circa harum rerum conditorem: neque enim fieri potest, ut intra longum tempus aliquando saltem non ei occurrat cogitatio auctoris, qui haec omnia fecerit; cum homo natura curiosus sit et causas rerum cognoscere sponte appetat: tunc vero sub ratione conditoris universi Deum apprehendet. Atqui nos, non de homine quovis loquimur, sed de habente tantum expeditum rationis usum atque inter bonum et malum morale discernere valente: qui enim ad hoc nondum pervenit, licet longævus forte sit, inter infantes et parvulos numerari debet. Ergo...

56.—Satis autem probabile est fieri posse, ut per breve aliud tempus post inceptum rationis usum sine ulla Dei cognitione homo aliquis permaneat: quia accidere potest, ut toto illo tempore ad sensibilia negotia omnino distrahatur, quin aliquid cogitet de objecto suæ beatitudinis, aut de lege obligante, aut de auctore hujus universi. Toto autem illo temporis spatio more parvulorum operabitur inter bonum et malum morale minime discernens et legis existentiam non advertens: quia si moraliter operatur, jam eo ipso Deum sub ratione legislatoris malum morale absolute prohibentis aliquo modo, quantumvis obscuro, cognoscere dicendus est.

### PROPOSITIO TERTIA.

*Athei speculativi Deum negantes possunt quidem ejus existentiam in dubium revocare, minime vero ut rem falsam sine ulla dubitatione habere.*

57.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Licet argumenta, quibus existentia Dei hominibus manifestatur, evidētia sua fulgeant, et rationes contrariae facili negotio dissolvantur; tamen potest quis sua animi perversitate his rationibus urgendis totus inhærere, parum vel nihil interea ponderando argumentorum vim pro Dei ex-

istentia militantium. Intellectus enim, licet potentia necessaria quoad specificationem, subjacet tamen quoad exercitum influxui voluntatis; quæ potest ei imperare, ut cogitet et fortiter ponderet quæ ipsam delectant. Atqui, hac consideratione posita, existentia Dei ei naturaliter obscura et dubia reddetur: tum quia solæ rationes ejus falsitatem persuadentes urguntur; tum etiam quia eæ rationes nequeunt non Atheo placere Dei non existentiam desideranti. Ergo Athei prædicti suis sophismatibus dubiam sibi reddere Dei existentiam possunt.

58.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Sophismata memorata, utpote nullius roboris et facilis solutionis, non possunt mentem ita obfirmare, ut contrariis motibus non tangatur. Argumenta enim existentiam Dei suadentia sponte naturæ in mente uniuscujusque hominis encountur; et cum gravissima sint, non possunt non sæpe Atheum concutere et falsam suam animi tranquillitatem perturbare. Ergo Athei, quantumvis contentur, a dubitando de validitate suorum sophismatum sese liberare non poterunt. Nam, ut ait Horatius, *naturam expellas furca, tamen usque recurret.* Hinc optime Seneca: «Mentiuntur qui dicunt se non sentire esse Deum: nam etsi tibi affirment interdiu, noctu tamen et sibi dubitant». Imo ipse Lucretius, licet atheismi cantor, aperte fatetur atheos terroribus Dei vindicis et inferni præcipue in rebus adversis frangi, et ad religionem tunc animos advertere: additque hoc eo plus notatu dignam esse, quo in hujusmodi casibus non consilio sed sponte naturæ operantur (1).

---

(1) Cfr. Lucretius, *de rerum natura*, lib. 3. v. 50 et seqq.

### PROPOSITIO QUARTA.

*Ignorantia veri Dei, qua laborant Athei speculativi, sive positivi, sive negativi, vincibilis et culpabilis est.*

59.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Qui perspicere valet vim rationum, quibus ad negandam Dei existentiam movetur, multo magis perspicere poterit vim argumentorum Dei existentiam suadentium. Ergo Athei positivi possunt ignorantiam suam depellere et verum Deum cognoscere. Impossibile autem est ut aliquando, imo etiam saepe hæc argumenta eos non tangant; quia sponte naturæ cuique offeruntur, ut in præcedente propositione dictum est. Ergo hæc ignorantia erit culpabilis; quia dum illis argumentis tanguntur, non possunt non in semetipsis sentire judicium conscientiæ obligationem quærendi Deum eis annuntiantis.

60.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Moraliter impossibile est ut quis, rationis usum adeptus, per longum tempus sine aliqua Dei notitia degat. Atqui hoc posito, naturaliter orietur in eo cogitatio obligationis qua tenetur illam notitiam perficiendi, donec verum Deum cum certitudine noscat. Aliunde vero hanc certitudinem, si mediocrem considerationem adhibeat, facile sibi comparare valet; quia argumenta, quibus Deus tamquam conditor et gubernator hujus universi sensibilis ostenditur, facilia et cuivis obvia sunt. Ergo ignorantia veri Dei in illis quoque vincibilis et culpabilis est.— In aliquibus tamen valde rudibus forte hæc culpa non nisi venialis est; eo quod per totam suam vitam incapaces existunt plene discernendi inter bonum et malum morale, intelligentiam quodammodo semisopitam habentes. Quod quidem integris Americanorum tribubus contigisse Missionarii diu inter hosce homines sylvestres degentes sæculo præterito opinati sunt.

### PROPOSITIO QUINTA.

*Atheismus tam speculativus quam practicus in corruptione cordis ultimum suum fundamentum habet.*

61.—*Demonst.*—Athei sunt tales aut *actione*, aut *corde* aut *mente*. Primi Deum quidem cognoscunt; sed ita vitiis dediti degunt, quasi eum inter puras fabulas recenseant. Secundi Deum non existere exoptant, ut liberius et sine ullo timore voluptatibus hujus vitae indulgere valeant. Tertii denique amore quidem vanitatis et paradoxorum illecti saepe suum atheismum tuentur, ut a cæteris humani generis hominibus se secernant: sed hoc ipsum in re tam gravi, qualis est supremi Numinis existentia, sine magna cordis corruptione minime concipitur. Ergo omnes Atheismi species in corruptione cordis ultimum suum fundamentum habent.—Narratur quidem de quibusdam Atheis, ut Diagora, Attico, Spinoza, etc., eos probis moribus vixisse. Sed quamvis id concedamus, nihil exinde contra thesim nostram sequetur. Modus enim ille vivendi potuit esse naturalis effectus sive educationis, sive nativæ indolis, sive etiam studii vitandi infamiam atheismo suo inhærentem: cum eo tamen optime et sine ulla difficultate conjungi potuit tumor quidam mentis et luciferina superbia, quibus universo genero humano se superiores existimarent, quæque in sola perversitate voluntatis ultimum suum fundamentum habent.

### PROPOSITIO SEXTA.

*Atheismus humanam naturam pretiosioribus suis bonis spoliat et civile consortium impossibile reddit.*

62.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Deo sublato, virtus suo protectore ac remuneratore privatur, ordo suo custode ac repa-

ratore, felicitas denique suo naturali objecto; immortalitas animæ in puram chimæram convertitur, desiderium felicitatis in merum ludibrium, amor virtutis in lamentabile tormentum; animæ humanæ in tristitiis et angoribus hujus vitæ solamen eripitur, in laboribus ac rebus arduis spei robur, in fortiter gestis corona victoriæ; totus denique homo in miseram jumentorum conditionem dejicitur, eodem prorsus modo ac jumenta nascens et moriens. Sed virtus, ordo, felicitas, immortalitas, solamen in pœnis, spes in laboribus, corona in victoriis, beatitudo denique post brevem hanc et luctuosam vitam sunt pretiosiora humanæ naturæ bona. Ergo...

63.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Sublato Deo, perit in principibus amor justitiæ, in subditis obsequium erga auctoritatem, in omnibus denique civibus mutua fides, reverentia legum et amor boni publici. Tunc enim civibus omnibus unica lex agendi privata utilitas erit, unicus finis operationum voluptas in hac vita obtainenda, unicum cupiditatum frenum timor aliorum, jus denique unicum vis physica in fortioribus frausque ac simulatio in debilibus; cum hæc omnia sint absolute necessaria, ut unusquisque felicitatem, ad quam pondere ipsius naturæ propellitur, assequi in præsente vita possit. Atqui sine amore justitiæ in principe, sine obsequio subditorum erga auctoritatem, sine mutua fide, reverentia legum et amore boni publici in omnibus civibus civile consortium impossibile evadit; tunc enim sociorum pax in bellum omnium contra omnes convertitur. Ergo...

Nec vero dicant Athei, loco horum omnium bonorum, quæ fundamento sunt societati supra ideam Dei constitutæ, remanere amorem gloriæ et calculum majoris utilitatis in societate Deum negante. Nam amor gloriæ et calculus utilitatis majoris impotentes omnino per se sunt ad cives in officio continendos;

nec impedire unquam possunt, quominus propriam solummodo felicitatem querant per media omnia in eorum manu posita, etiamsi ad hoc obtainendum omnes alios, si opus fuerit, sacrificare oporteat (1).

## CAPUT II.

### De Dei natura seu essentia.

64.—*Essentia illud esse dicitur, quo unaquæque res est id quod est, et non aliud.* Essentia in *physicam* et *metaphysicam* dispescitur; quarum prima in collectione omnium perfectionum ens aliquod constitutum reponi debet, secunda vero in perfectione illa consistit, quæ tamquam primaria radix et fons ceterarum omnium ad aliquod ens spectantium concipiatur (O. 12-16).

65.—Circa constitutivum essentiæ physicæ Dei non multa potest esse disputatio apud Philosophos christianos. Omnes enim admittunt, et quidem jure optimo, Deum natura sua simplicissimum esse: unde quidquid perfectionis est in Deo, cum ejus natura physica identificari necesse est. Non idem autem accidit in ordine ad constitutivum essentiæ metaphysicæ: quidam enim illud reponunt in infinitate formalis, alii in infinitate radicali, alii in intellectualitate summa, alii in aseitate, alii in plenitudine essendi, etc., etc. Plures tamen ex iis sententiis solo fere nomine inter se discrepare videntur; nam infinitas radicalis ex. gr., aseitas et plenitudo essendi eamdem rem diversis nominibus exprimunt, idemque de aliis sententiis inter se comparatis dici posset. Quapropter ad solas tres eas omnes reducemus, ad infinitatem scilicet formalem, intellectualitatem et

(1) Ad res omnes hujus articuli confer, si lubet, Hooke *de vera Religione* part. I. sect. I.

aseitatem. Ut vero convenientius de eis loquamur, prius de nominibus Dei, ac de nomine propriissimo Divinitatis disseremus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### De nominibus Dei.

Quæstionem hanc multis articulis tractat D. Thomas in *Summa Theologica* (1. p. q. 13), cuius doctrinam sequentibus propositionibus exponemus.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Deus a nobis nominari quidem potest; non autem per nomina exprimentia suam essentiam, prout est in se.*

66.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Omne quodcumque aliquo modo cognoscimus, nominare possumus; cum verba sint idearum signa. Atqui Deum aliquatenus cognoscimus, quoniam per considerationem creaturarum ad aliqualem ejus cognitionem adscendimus. Ergo Deum nominare possumus.

67.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Unamquamque rem eo solum modo nominare possumus, quo illam cognoscimus; essentiam autem divinam non aliter per vires naturales cognoscere valemus quam videndo ejus perfectiones in creaturis; quoniam directa et immediata ejus cognitio non congruit nostræ naturæ (17). Sed nulla creatura exprimit plene omnes perfectiones divinæ essentiæ; quoniam omne artefactum creatum, utpote finitum, infinite distat ab essentia Dei infinita, cuius perfectionem aliquo modo imitatur. Ergo per nullum nomen exprimere essentiam Dei possumus, prout est in se, sed tantum prout dicit ordinem ad creaturas.

68.—COROLLARIUM.—*Ergo in nulla specie creata, tamquam in objecto cognito, videre possumus divinam essentiam.* Patet consequentia. Nam omnis species creata est artefactum quoddam divinæ omnipotentiae non nisi imperfecte essentiam divinam repræsentans. Ergo in ea tamquam in speculo seu objecto viso divinam essentiam videre minime valemus (1).

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Non omnia nomina, quæ Deo tribuimus, metaphorica sunt aut synonyma; quæcumque autem ipsi ac creaturis convenient, de eo non nisi analogice dici possunt.*

69.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Aliqua nomina, quæ Deo tribuimus, metaphorica quidem sunt; ut cum dicimus eum habere oculos, brachia, manus, pedes, cor, etc: Deus enim purus spiritus est et partibus materialibus caret. Non autem omnia sunt hujus generis, quod sic probatur: In nominibus, quæ Deo atribuimus, duo considerare oportet; perfectiones scilicet per illa nomina significatas, ut *vitam, bonitatem, etc.*, et modum eas significandi. Atqui perfectiones illæ quoad se ipsas realiter sunt in Deo, quoniam ex eo ad creaturas derivantur. Ergo quatenus hæc nomina significant illas perfectiones, vere et proprie Deo convenient: imo magis proprie quam creaturis, quia perfectiones illæ plenius ac perfectius in Deo inveniuntur quam in creaturis. Quoad modum quidem significandi prædictas perfectiones de Deo dici nequeunt; quoniam exprimunt rationem limitatam, qua illæ perfectiones a creaturis participantur. Sed ad removendam hanc impropositatem, adjungimus eis aliqua alia; per quæ ad significandum modum altiore et illimitatum trahuntur, quo a Deo illæ perfectiones possidentur; ut cum

---

(1) Cfr. S. Thom. *Summ Theol.* I. p. q. 12, art. 2.

dicimus Deum esse spiritum *purissimum*, substantiam *persecutissimam et omni accidente destitutam*, ens quoddam *actualissimum et omni potentialitate carens*, etc.

70.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Nomina diversa, quæ Deo tribuimus, significant perfectiones Dei ratione ratiocinata inter se distinctas. Nam essentia divina, quamvis absolute simplex, est virtualiter multiplex et diversas perfectiones exprimit imitabiles per creaturas. Unde, cum non nisi per harum contemplationem ad cognitionem illius adscendere valeamus, eam sub conceptionibus inadæquatis repræsentamus, tribuendo ipsi perfectiones ratione ratiocinata inter se diversas. Sed nomina experimentia perfectiones ratione ratiocinata inter se diversas non sunt synonyma; nam repræsentant diversa objecta formalia. Ergo...

71.—*Prob. 3.<sup>a</sup> p.*—Rationes per prædicta nomina significatae convenient quidem Deo et creaturis: sed tamen diverso modo; nam Deo convenient per essentiam, creaturis vero per participationem. Ergo quantum Deo et creaturis communes existunt, sunt analogæ (L. 98). Atqui in attributione horum nominum analogatum principale sunt creaturæ, non vero Deus: quia nomina hæc primario et per se ad significandas perfectiones creaturarum inventa sunt; et ideo has perfectiones proprie significant et quoad se ipsas et quoad modos earum: quod quidem non accidit, quando Deo tribuuntur, ut in præcedente propositione dictum est. Ergo omnia prorsus nomina, quæ Deo et creaturis tribuuntur, de Deo non nisi analogice dicuntur.

PROPOSITIO TERTIA.

*Inter nomina, quæ Deo tribuimus, alia quidem ex æternitate, alia vero ex tempore tantum de eo dicuntur.*

72.—*Demonst.*—Nomina secundum id de Deo dicuntur, secundum quod ei conveniunt rationes formales per ipsa significatæ; verba enim signa conceptuum sunt. Sed inter rationes has aliæ ei ex æternitate, aliæ vero ex tempore tantum conveniunt. Ergo... *Prob min.* Unaquæque ratio formalis, seu unumquodque prædicatum Deo convenit juxta naturam motivi, in quo fundatur. Atqui motivum, in quo fundantur quædam prædicata quæ de Deo enuntiamus, est æternum et ab æterno in Deo existens, ut cum dicimus Deum esse *spiritum, omnipotentem, omniscium, voluntem mundi existentiam*, etc.: illud vero ex quo alia desumuntur, ut quod Deus sit hominum *pater, dominus ac redemptor, mundi creator ac rector*, etc., est mere temporaneum; consistit enim in actione quadam Dei transeunte temporaliter in suis creaturis recepta, cum nulla illarum ab æterno existat. Ergo quædam prædicata ac proinde nomina, quibus ea significamus, Deo ex æternitate, alia vero ex tempore tantum convenire dicenda sunt.

73.—Neque vero idcirco Deus ratione illorum mutationem ullam aliquando subiisse cogitandus est. Denominationes enim eæ novæ, quæ ei in tempore adveniunt, fundantur in mutatione aliqua nova extra illum posita atque ad ipsum ordinem et habitudinem habente. Unde, sicut absque ulla mei mutatione intrinseca ego incipio esse sinister Pauli, cum antea forem dexter, ex eo quod Paulus ex mea sinistra ad dexteram per motum in se receptum translatus est; ita etiam Deus, absque

ulla sui mutatione, incepit in tempore esse creator, rector, redemptor, dominus, etc., ex hoc solo quod actionibus ejus transeuntibus inceperunt esse res ab eo creatæ, gubernatæ, redemptæ, potestati suæ subjectæ, etc.

#### PROPOSITIO QUARTA.

*Non solum propositiones negativæ, sed etiam affirmativæ de Dœo enuntiari possunt.*

74.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Verissimum est dicere Deum non esse *corpus, creaturam, mutabilem*, et alia multa, quæ de rebus creatis prædicantur. Ergo de Deo propositiones negativæ enuntiari queunt.

75.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> In Deo dantur plures perfectiones ratione ratiocinata inter se distinctæ: ergo eas cum veritate ei tribuere possumus. Sed hoc faciendo propositiones affirmativas de eo enuntiamus. Ergo... 2.<sup>o</sup> In tantum propositiones affirmativas de eo enuntiare non licet, in quantum hoc pugnaret cum omnimoda ejus simplicitate. Sed hoc cum simplicitate ejus non pugnat: nam res etiam simplicissimas nos *ad modum compositarum* percipimus juxta naturam nostram concipiendi, atque exinde diversa prædicata cum veritate eis tribuimus. Non enim per hæc judicia asserimus ipsas in se esse compositas: sed tantum dicimus Deum habere in se modo simplicissimo et perfectissimo perfectiones, quas nos per conceptus diversos in eo apprehendimus. Ergo...

#### ARTICULUS II.

##### **De nomine propriissimo Divinitatis.**

76.—Deus seu natura divina diversis nominibus a nobis appellatur: dicitur enim *ens a se, causa prima, Mundi creator ac rector, omnipotens, aeternus, Deus*, etc. Nunc ergo querimus quodnam ex nominibus, quæ ei a nobis tribui possunt, cum majore ipsi proprietate conveniat. Hac in re nulla prorsus dubitatio esse posse videtur; cum ipse Deus nomen suum Moysi

revelaverit, dicens: *Ego sum Jehova*; quod Vulgata vertit *qui sum*, et Septuaginta interpretantur ὁ Ων, seu *autonomastice* existem, ad litteram autem idem sonat ac *Ego ero*, seu *Ego sum*. Pronum enim est cogitare Deum aptissimum inter omnia sibi nomen apposuisse; eo vel maxime, quod ad designandam essentiam suam illud assumpsisse videatur, ut ex toto contextu eluet et S. Thomas cum quamplurimis Ecclesiae Patribus interpretatur. Sit igitur sequens

### PROPOSITIO.

*Propriissimum Dei nomen est יהוה seu qui est.*

77.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Id patet *ex ejus significatione*. Nam, ut optime arguit D. Thomas, «non significat formam aliquam, sed ipsum esse. Unde, cum esse Dei sit ipsa ejus essentia, et hoc nulli alii conveniat, manifestum est quod inter alia nomina hoc maxime proprie nominat Deum. Unumquodque enim denominatur a sua forma (1).»

2.<sup>o</sup> Id constat *ex ejus universalitate*. Quanto enim aliqua nomina sunt minus determinata et magis communia et absoluta, tanto magis proprie dicuntur de Deo a nobis. Atqui nullum nomen est minus determinatum et magis commune et absolutum, quam *esse* seu *existere*. Ergo..... *Prob. maj.* a) Quo magis universale est nomen, quo Deum nominamus, eo universaliorum postulat differentiam, qua sub eo distinguatur Deus a creaturis. Sed nomen eo proprius ac perfectius de Deo dicitur, quo magis eum secernit a creaturis. Ergo quanto aliquod nomen est minus determinatum et magis universale, tanto magis proprie de Deo dicitur. b) Intellectus noster in hoc statu viæ non potest intelli-

---

(1) S. Thom, *Summ. Theol.* I. p. q. 13, art. 11.

gere Dei essentiam, secundum quod in se est; sed quemcumque modum determinet secundum id, quod de Deo intelligit, deficit a modo, quo Deus in se est. Ergo quanto minus determinet, seu quanto indeterminatores et universaliores sunt conceptus, quibus eum sibi repræsentat; eo melius ac magis proprie eum intelligit. Atqui quod de conceptibus dicitur, id ipsum asserendum est de nominibus; siquidem nomina sunt signa, quibus conceptus repræsentantur. Ergo quo magis universale est nomen, etc.

3.<sup>o</sup> Id denique ostenditur *ex ejus consignificatione*. «Significat enim esse in præsenti: et hoc maxime proprie de Deo dicitur, cuius esse non novit præteritum vel futurum, ut dicit S. August. in 5. de Trinit. c. 2 (2).» Ergo...

#### Solvuntur difficultates.

78.—Obj. I. Nomen *Deus* est inter omnia maxime proprium; institutum est enim expresse ad designandam naturam divinam cuivis alii incommunicabilem. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *dist. assert.* Nomen *Deus* institutum est ad designandam naturam divinam, *minus tamen perfecte* quam nomen *qui est*, Conc.: *secus*. *Neg.* Nomen *qui est* perfectius designat naturam divinam quam nomen *Deus* ex ipsa institutione sua. Nam hoc secundum ex primaria institutione sua significat naturam divinam, prout dicit ordinem ad creaturas, quarum providentiam gerit: illud vero primum institutum est ad significandam naturam divinam singularem, prout est in se ipsa et sine relatione ad creaturas. Quamvis nec ipsum significat Deum absolute prout est in se, sed tantum prout per conceptus quosdam abstractos a nobis percipi valet: Deum enim in se ipso intueri haud possumus (67).

79.—Obj. II. *Boni nominatio est excellenter manifestativa omnium Dei processionum*, ut optime ait Auctor

---

(2) Id. *ibid.*

*de divinis nominibus*, cap. 3. Sed Deo maxime convenit esse primum rerum principium. Ergo nomen *bonum* est præ omnibus aliis Dei proprium.

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—Deo maxime convenit esse primum omnium rerum principium; *secundum quid et quatenus consideratur ut causa*, *Conc. simpliciter et quatenus consideratur ut ens*, Neg. Ad rem D. Thomas; «Hoc nomen «bonum» est principale nomen Dei, in quantum est causa; non tamen simpliciter, nam esse abso-lutum praetelligitur causæ (1).» Hinc *sub data distinctio-ne nego consequentiam*.

80.—Obj. III. Omne nomen divinum implicat relationem ad creaturas; nam Deus non cognoscitur a nobis nisi per creaturas. Sed nomen *qui est* relationem ad creaturas non implicat. Ergo non est Dei proprium.

Resp.—*Dist. maj.*—Omne nomen divinum implicat relationem ad creaturas, *considerata impositione sua ad significandum*, *Conc. considerata ejus significazione præcise*, Neg. Et *contradist. min., neg. conseq.* Considerata impositione nominum, quibus Deum nominamus, omnia prorsus implicant relationem ad creaturas; ratio enim impositionis eorum semper est aliqua perfectio creaturarum a Deo producta. Considerata autem ipsa nominum significatio-ne, non est necessarium ut omnia hanc relationem dicant; quia potest esse aliquod quod divinam naturam sub conceptu absoluto repræsentatam designet. Ad rem iterum Angelicus Doctor: «Non est necessarium quod omnia nomina divina importent habitudinem ad creaturas; sed sufficit quod imponantur ab aliquibus perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas; inter quas prima est ipsum esse, a qua sumitur hoc nomen «qui est.» (2).»

---

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 13, art. 11, ad 2.<sup>um</sup>

(2) S. Lhom. *loc. cit.* in resp. ad 3.<sup>um</sup>

### ARTICULUS III.

#### De constitutivo divinæ naturæ.

81.—Ad tres, ut supra observavimus (65), reduci possunt quotquot sententiæ a Philosophis et Theologis excogitatae sunt; ad infinitatem scilicet formalem omnia Dei attributa expresse continentem, ad intellectualitatem summam perfectissime res omnes idealitate sua repræsentantem, ad aseitatem denique independentiam Dei absolutam in essendo et exigentiam omnium attributorum divinorum formaliter exprimentem. Porro ex iis opinionibus tertia duabus cæteris communior est atque, ut videtur, etiam probabilior. Sint itaque sequentes propositiones.

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Essentia Dei metaphysica in infinitate formaliter reponi nequit.*

82.—*Prob.*—Infinitas formalis omnia Dei attributa sub conceptu suo formaliter comprehendit: per eam enim expresse significamus Deo perfectissime et sine ulla limitatione convenire quidquid habet rationem entis. Sed essentia Dei metaphysica reponi nequit in re formaliter omnia ejus attributa exprimente: proprietates enim ab essentia manantes concipiuntur a nobis tamquam *virtualiter tantum* in ea contentæ, non vero tamquam partes ejus constitutivæ aut quid formaliter cum ea identificatum. Ergo...

#### Solvuntur difficultates.

83.—*Obj. I.* Essentia metaphysica est ipsa essentia physica metaphysice concepta. Sed essentia physica Dei consistit in complexu omnium attributorum divinorum, qui formalem Dei infinitatem repræsentat. Ergo essentia Dei metaphysica in infinitate ejus formaliter reponenda est.

*Resp.—Concessis maj. et min., neg. conseq.* Consequentia syllogismi hæc tantum est: Ergo essentia Dei metaphysica con-

sistit in complexu divinorum atributorum *abstracte concepto*. Jam vero complexus hic sub conceptu essentiæ metaphysicæ Dei non debet repræsentari *formaliter*, sed tantum *virtualiter*, quia secus essentia Dei metaphysica cum physica omnino confunderetur.

84.—Obj. II. Si essentia metaphysica Dei non diceret formaliter omnem perfectionem, esset formaliter minus perfecta quam essentia physica. Atqui hoc est absurdum. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Si essentia Dei metaphysica non diceret formaliter, *nec etiam virtualiter aut eminenter*, omnem perfectionem, esset formaliter minus perfecta quam essentia physica, Conc.: si non dicit formaliter, *dicit autem virtualiter et eminenter*, Neg. Et *contrad. min. neg. conseq.* Essentia Dei metaphysica non formaliter, sed virtualiter et eminenter debet exprimere omnes Dei perfectiones; secus enim non metaphysica sed physica foret. Porro si argumentatio facta valeret, in ipsa idea Dei deberet formaliter et explicite contineri infinitudo; quia non minus sub idea Dei involvitur Deitatis essentia, quam sub conceptu *hominis* essentia humanitatis. Sicut ergo sub conceptu Deitatis non debet nisi virtualiter exprimi infinitudo perfectionis, ita etiam sub conceptu metaphysicæ essentiæ Dei.

85.—Obj. III. Essentia metaphysica complecti debet, non *partem* essentiæ physicæ, sed *eam totam*. Atqui hoc non aliter obtineri potest quam eam constituendo in infinitate formali. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Essentia metaphysica complecti debet *radicaliter et eminenter totam* essentiam physicam, Conc.: *formaliter*, Neg. Et *contradist. min. neg. conseq.* Essentia metaphysica radicaliter et eminenter debet in se continere omnia attributa essentiam physicam constituentia, quia modo nostro ut radix et fons illorum primarius concipitur: non vero formaliter, quia sic cum essentia physica confunderetur.

86.—Ob. IV. Attributa divina de Deo *in quid* seu essentiæ liter prædicantur, non vero *in quale* seu accidentaliter. Ergo ad essentiam Dei pertinent et de ejus notione sunt.

Resp.—*Dist. ant.*—Attributa divina de Deo essentialiter prædicantur *essentialitate physica*, Conc.: *essentialitate me-*

*taphysica*, Neg. Attributa hæc per rationem nostram ut emanationes quædam essentiæ divinæ a nobis concipiuntur: sècùs enim non appellarentur attributa sed partes constitutivæ essentiæ Dei metaphysicæ.

87.—Obj. V. Si attributa non constitutuunt Dei essentiam, sed sunt quid ei jam constitutæ adveniens; essentia per ea perfici poterit. Atqui essentia Dei metaphysica nequit a nobis ut perfectibilis cogitari. Ergo...

Resp.—Neg. maj.—Tota attributorum divinorum perfectio in essentia Dei metaphysica radicaliter atque eminenter inventur: proinde attributa hæc non ut *perfectiones completivæ* essentiæ, sed ut *explicationes virtutis* in essentia formaliter contentæ concipi debent. Porro essentiæ divinæ non accedit hac in re quod ceteris essentiis: eæ namque vere per sua attributa complentur, quia ab alio debent ea accipere ac proinde ex se sunt in potentia ad illa: at vero essentia Dei ipsa est sibi suorum attributorum metaphysicus fons, atque idcirco non in potentia sed in actu eminentiali et radicali respectu illorum cogitari debet.

## PROPOSITIO SECUNDA.

*Essentia Dei metaphysica non consistit in summa ejus intellectualitate.*

88.—Prob.—Intellectus divinus, quomodo cumque consideretur, semper sese nobis exhibet tamquam Dei attributum et ut proprietas quædam essentiæ, non minus quam omnipotencia, aut voluntas, etc. Sed in nullo Dei attributo constitui potest metaphysica ejus essentia, quia hæc debet apprehendi tamquam primarius omnium attributorum fons. Ergo...

## Solvuntur difficultates.

89.—Obj. I. Essentia Dei metaphysica reponi debet in supremo perfectionis gradu. Atqui supremus perfectionis gradus est intellectualitas; cum spiritus, cuius est intelligere, in supremo entium gradu sit constitutus. Ergo...

Resp.—*Conc. et dist. min.*—Supremus perfectionis *creatæ* gradus est intellectualitas, *Conc.*: perfectionis *simpliciter*, Neg. Et *contrad. min. neg. conseq.* Supremus gradus perfectio-*nis simpliciter sumptæ est esse seu existere*, quia esse est *actuatio essentiæ*. Proinde in hoc gradu reponi debet essentia Dei metaphysica, et non in alio ad naturas seu essentias crea-*tas pertinentie*.

90.—Obj. II. Intellectualitas summa distinguit Deum ab omni re creata, et necessario infert in Deo omnia ejus attributa. Ergo ei competit ratio essentiæ metaphysicæ.

Resp.—*Dist. 2.<sup>am</sup> p. antecedentis*: Necessario infert in Deo omnia ejus attributa *tamquam quid cum eis aliquo modo con-nexum*, *Conc.*: *tamquam eorum primarius fons*, Neg. Et *sub dat. dist. nego conseq.* Argumentum hoc eodem modo fieri posset de omnipotentia, immutabilitate, æternitate, etc.; quia omnia Dei attributa sunt propria et exclusiva Divinitatis et præterea intime inter se copulantur. Nihil ergo probare dicendum est; quia non ostendit intellectum divinum esse *fontem et radicem omnium perfectionum divinarum*.

91.—Obj. III. De ratione naturæ divinæ est intelligentia, siquidem Deus est substantia quædam perfectissima ac proinde spiritualis. Ergo essentia Dei metaphysica in intellectualitate Dei summa consistit.

Resp.—*Dist. ant.*—De ratione naturæ divinæ *physicæ* est intelligentia, *Conc.*: de ratione essentiæ *metaphysicæ*, subd. *radicaliter*, conc.: *formaliter*, neg. Explico distinctionem: De ratione essentiæ divinæ est, ut sit radix et fons intelligentiæ summæ, sicut et omnipotentiæ, immutabilitatis, æternitatis, etc.; sed ipsa in se non includit rationem formalem intellectualitatis, sicut nec omnipotentiæ, immutabilitatis, etc. Hinc ad rationem additam *respondeo concedendo antecedens et negando conse-quentiam ex eo illatam*. Substantia formaliter perfectissima illa proprie dicenda est, quæ ex se ipsa ad existendum deter-minata manet, quæque proinde non est ens *per participatio-nem* sed *per plenitudinem essendi*.

PROPOSITIO TERTIA.

*Essentia Dei metaphysica in hoc reponenda videtur,  
quod Deus sit ens a se plenum plenitudine essendi.*

92.—*Prænot.*—Deum seu naturam divinam esse ens a se manifestissime patet ex ipsis argumentis, quibus existentiam ejus ostendimus. Esse vero plenum plenitudine essendi eadem evidenter fulget. Non enim intelligimus per hæc verba omniprefectionem divinam aut infinitatem Dei formalem; quarum prima relationem dicit ad diversas perfectiones creaturarum, secunda vero ad earum imperfectiones et limites; sed existentiam non-participatam entis a se. Hæc namque, eo ipso quod non sit participata, est plena in sua ratione formaliter existendi; cum nihil habeat de suo contrario seu de essentia actuabili, sed sit existentia pura, seu purum esse, vel etiam purum ens actuale, aut purus actus; nam hæc omnia idem prorsus sonant, et in re solum significant in Deo non distingui ne metaphysice quidem essentiam ab existentia.

93.—*Prob.*—Ratio entis a se pleni plenitudine essendi: *a) perfecte discernit Deum a creaturis*, cum eæ omnes sint ab alio et entia per participationem. *b) Exhibit illud quod est perfectissimum in D o:* nam, ut optime docet S. Thomas, ratio hæc puri existentis et omni essentia seu capacitatem actuabili carentis «nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes: et ideo nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum (1)». Unde supra argumentis ejusdem Aquinatis evidenter ostendimus nomen *qui est* rationem existentis pleni significans perfectius omni alio naturam Dei repræsentare (77). *c) A nobis percipitur ut primarius fons omnium perfectionum, quæ Deo competunt:* eo enim ipso quod Deus sit ens per essentiam, debet in se claudere modo simplicissimo et purissimo omnes perfectiones entium per participationem. Unde S. Thomas dicit de nomine *qui est* hanc rationem existentis per essentiam significante: «Principalius, quæ de Dœo

---

(1) S. Thom., *Summ. Theolog.* I. p. q. 13, art. 11 in 0.

dicuntur nominibus, est *qui est*: totum enim in se ipso comprehendens habet ipsum esse velut quoddam pelagus substantiae infinitum et indeterminatum (1). Et S. Bernardus: «Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid aliud tale de Deo dixeris; in hoc verbo instauratur, quod est, Est (2)». d) Denique *in nulla attributa divina ingreditur ut quid formaliter cum illis identificatum*, sed ut quid singulis altius et omnibus eminentius ac simplicius. Nam simplex existere praeintelligitur causae, potentiae, intelligentiae, voluntati, et cuilibet praedicato determinato, quod de Deo enuntiari potest; et haec omnia tamquam modi essendi in Deo a nobis concipiuntur. Unde S. Thomas loquens de nominibus Dei distinctis a nomine *qui est*, haec ait: «Omnia alia nomina vel sunt minus communia, vel si convertantur cum ipso, tamen addunt aliqua supra ipsum secundum rationem: unde quodammodo informant et determinant ipsum (3)». Atqui eae sunt quatuor proprietates essentiae metaphysicae constitutivae. Ergo...

### Solvuntur difficultates.

94.—Obj. I. Essentia metaphysica debet nobis indicare *quid* res sit. Atqui notio entis a se pleni plenitudine essendi non indicat nobis quid Deus sit, sed tantum *unde* et *quinam* sit. Ergo in notione hac reponi essentia Dei metaphysica nequit.

Resp.—*Conc. et neg. min.*—Notio praedicta aperte indicat, non modo *unde* et *quis* sit Deus, sed etiam *quænam* sit ejus natura: dicit enim nobis essentiam Dei esse *existere* seu esse existentiam puram omni capacitate actuali destitutam ac proinde rationem entis seu existentis plenissime possidentem.

95.—Obj. II. Definitiones rerum non debent fieri per genus remotum sed proximum. Sed dicendo essentiam Dei metaphysicam consistere in aseitate plenitudinem essendi habente definimus Deum per genus remotissimum, quale est *ens*. Ergo...

(1) Id. *ibid.*

(2) S. Bernard., *de Considerat.* lib. 5, cap. 6.

(3) S. Thom. *loc. cit.*

Resp.—*Dist. maj.* Definitiones rerum non debent fieri per genus remotum, quando agitur de entibus intra genera contentis, *Conc.*: quando agitur de ente supra omnia genera constituto, qualis est Deus, *Neg.* Et concessa *min.*, *neg. conseq.* *sub dist. data.* Deus supra omne genus est: proinde ut aliquo modo explicetur ejus natura, definiri debet per differentiam remotissimam, quia sic melius secernitur ab omnibus sub genere existentibus. Differentia autem hæc est aseitas plenitudinem essendi formaliter exprimens.

96.—*Obj. III.* Simplex existere formaliter ingreditur in singula Dei attributa; omnia enim sunt entia per essentiam et non per participationem. Atqui essentia metaphysica non debet formaliter ingredi in proprietates, cum eae ab illa manare concipientur. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Simplex existere formaliter ingreditur in singula Dei attributa *ut quid per ea quodammodo determinatum et informatum*, *Conc.*: *ut quid cum illis sub omni respectu identificatum*, *Neg.* Et *contrad. min. neg. conseq.* Ad rat. addit. *dist. assert.* Omnia Dei attributa sunt secundum *quid per essentiam*, *Conc.: simpliciter*, *Neg.* Esse absolute in Deo præintelligitur omnibus attributis, ac proinde ab illis omnibus formaliter distinguitur sicut indeterminatum a suis determinationibus. Attributa vero Dei in tantum sunt entia per essentiam, in quantum cum esse Dei realiter identificantur: unde non simpliciter, sed secundum quid talia vocari debent, in quo satis distinguuntur a simplici esse seu essentia.

97.—*Obj. IV.* Notio illa plenitudinis essendi in essentia Dei metaphysica redundat; sufficit enim aseitas ad illam exprimendam. Ergo...

Resp.—*Neg. ant. cum ejus probatione.* «Nomen entis a se, ut optime notat P. Kleutgen, proxime et per se non indicat, nisi Deum propria virtute esse: cum tamquam fundamentum et radix omnium perfectionum concipiatur potius illa plenitudo essentiae, quæ totum Esse comprehendit (1)». Unde perapte P. Marin: «Bonum sumptum pro pleno omnis perfectionis est præstantissimum prædicatum Dei: quia formaliter, et est ens

---

(1) Kleutgen, *Instit. Theolog.*—*De Deo uno*, n. 217.

a se, et explicat id, quod formaliter dicit cum aliqua confusione ens a se (2)». Proinde ad clare exprimendam notionem essentiae Dei metaphysicæ aseitati plenitudo essendi addenda est.

## CAPUT III.

### De attributis Dei absolutis.

98.—Postquam de essentia Dei metaphysica egimus, divina ejus attributa perpendere oportet. Hæc autem cum plura et diversa sint, separatam sibi tractationem postulant; atque ideo circa de illis distinctis capitibus loquemur. Antequam vero de absolutis disserere incipimus, aliquid de omnibus in genere præmittendum censuimus.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### Præmittuntur quædam de attributis Dei in genere.

99.—Attributa in genere *ex proprietates dicuntur*, quæ necessario manant ex essentia (O. 15). Unde cum in Deo, utpote simplicissimo, nulla proprietas vere manare ex essentia possit; attributa divina *illæ Dei perfectiones dicuntur*, quæ tamquam determinationes essentiae et proprietates in ea radicatae a nobis concipiuntur.

100.—Triplici autem via in cognitionem divinarum perfectionum pervenire possumus; *remotionis* nempe, *affirmationis* et *excellentiæ*. Prima removemus a divina natura quidquid imperfectionis et limitationis in naturis creatis invenitur; atque ita dicimus Deum esse simplicissimum, immutabilem, immensum,

(2) Marin, *Theol. Specul. et Morāl.*—*De Deo uno*, traet. I, disp. I, sect. VI, n. 67.

æternum, infinitum, unum, incomprehensibilem et ineffabilem. *Secunda* Deo inesse deprehendimus perfectiones omnes creaturarum sine tamen earum limitibus. Unde dicimus Deum esse potentissimum, sapientissimum, liberrimum, sanctissimum, justissimum, summe misericordem, providentissimum, beatissimum, omniperfectum. *Tertia* denique agnoscimus Deum omnesque ejus perfectiones supra omne genus perfectionum creatarum et creabilium existere; quoniam Deo et creaturis ne ipsa quidem entis ratio univoce convenit. Unde asserimus Deum, proprie loquendo, non ens, neque substantiam, neque spiritum, neque viventem; sed superessentialē, supersubstantialē, superspirituale, supervivente appellandum esse. Quæ omnia aperte significant essentialē Dei in se ipsa nobis ignotam manere; cum ignoremus quid sit in se illud, quod in ordine ad creaturas dicitur superessentialē, supersubstantialē, superspirituale, supervivens, etc. (1).

101.—Triplici etiam ratione attributa Dei distinguere possumus; *negationis* scilicet et *affirmationis*, *existentialē* et *operationis*, *status* denique *absoluti* et *relativi*. Ratione *negationis* et *affirmationis* dividuntur in *negativa* et *positiva*: quorum prima *illa* vocantur, quibus *imperfectiones* creaturarum *proprias* de Deo expresse negamus, ut cum dicimus Deum esse *increatūm*, *simplicissimum*, *immutabilem*, etc.: secunda vero sunt ea, quibus creaturarum *perfectiones suis limitibus denu-datas* de Deo asserimus, ut cum dicimus Deum esse *omnipoten-*

---

(1) «Quidquid intellectus noster de Deo concipit, scribit D. Thomas (*Qq. disp.*—*De verit. q. 2. a. 1. ad 9.<sup>um</sup>*), est deficiens a repræsentatione ejus: et ideo quid est ipsius Dei semper nobis occultum remanet; et hæc est summa cognitio, quam de ipso in statu viae habere possumus, ut cognoscamus Deum esse supra id, quod cogitamus de eo, ut patet per Dionysium in cap. 1. de *Mystica Theologia*».

tem, omniscium, providentissimum, justum, misericordem, etc. Ratione deinde existentiae et operationis alia *modum essendi*, alia vero *modum operandi* determinant. Ratione denique status absoluti et relativi quædam *absoluta* sunt et ordinem dicunt ad solam naturam divinam in se ipsa consideratam, qualia sunt *simplicitas, omniperfectio, infinitas, immutabilitas, aeternitas, unitas*, etc.; quædam autem sunt *relativa*, Deumque ad creaturas aliquo modo referunt, qualia sunt *potentia, intellectus, voluntas*, etc. Hanc ultimam nos divisionem sequemur, primo de attributis Dei absolutis, deinde vero de relativis duobus capitibus separatim agentes.

## ARTICULUS II.

### De absoluta Dei simplicitate.

102.—Simplex dicitur quod compositione caret: unde, cum compositio alia *realis*, alia vero *logica* sit, id ipsum de simplicitate asserere oportet. Realiter compositum partibus constat realiter distinctis et invicem unitis: logice autem tantum compositum partes habet, quæ in se ipsis unum idemque sunt, sed per conceptus diversos a nobis percipiuntur. Hinc, cum Deum sub diversis conceptibus apprehendamus, nulla est difficultas in ei tribuendo aliquod genus compositionis logicæ; nam hoc nihil ponit in ipso Deo, sed totum remanet in puris mentis nostræ conceptibus. Non sic vero accidit, quando agitur de compositione reali; quæ omnino a Dei natura removenda est, cum sit omnis realis compositionis expers. Quare contra Monistas, Materialistas et Pantheistas aliquod genus realis compositionis in Deo statuentes sequentem propositionem probandam assumimus.

### PROPOSITIO.

*Deus est omnino simplex, seu omnis realis compositionis expers.*

103.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> In primo ente nihil potentiale invenitur: est enim purus actus, cum sit primum mo-

vens immobile. Sed omne compositum aliquam potentialitatem habet; unaquæque enim ejus pars est in potentia ad aliam et actuabilis per eam. Ergo primum ens, seu Deus omni reali compositione caret. 2.<sup>o</sup> Primum ens nihil potest habere prius se, cum sit primum omnium principium. Sed omne compositum habet aliquid prius se; componentia enim sunt, saltem prioritate naturæ, priora compositis. Ergo Deus nequit esse compositus. 3.<sup>o</sup> Omne compositum indiget aliquo componente extrinseco, qui redigat ejus partes ad unitatem. Irrationabiliter enim fingeretur compositum aliquod infectum, cuius singulæ partes forent entia a se vi essentiæ suæ ad unionem determinata. Nam ens vi essentiæ suæ existens est prorsus independens ab alio tam in modo essendi quam in ipso esse, partes autem istæ mutuam dependentiam in modo essendi haberent. Atqui primum ens nullo agente extrinseco indigere ad suam existentiam potest. Ergo... 4.<sup>o</sup> Deus est esse purum seu existentia pura; ejus enim essentia est esse seu existere: ergo est forma seu perfectio pura; existere enim perfectio est, et existere purum pura perfectio. Sed forma pura nihil compositionis in se ipsa admittit; cum nihil prorsus extraneum in se habeat. Ergo... Ad rem D. Thomas: «In omni composito est aliquid, quod non est ipsum. Hoc autem etsi possit dici de habente formam, quod scilicet habeat aliquid, quod non est ipsum; puta in albo est aliquid, quod non pertinet ad rationem albi; tamen in ipsa forma nihil est alienum: unde cum Deus sit ipsa forma, vel potius ipsum esse, nullo modo compositus esse potest (1).» 5.<sup>o</sup> Deus caret: a) *compositione quantitativa corporum*; corpus enim omne non movet nisi motum, Deus autem est movens immobile: b) *com-*

---

(1) S: Thom., *Summ. Theol.* I. p. q. 3, art. 7. in 0.

*positione materiae et formae;* est enim forma pura rejiciens a se quamcumque potentialitatem materiae essentialiem: *c)* *compositione naturae et suppositi;* nam primum ens vi essentiae suae est determinatum ad subsistendum in se et non in alio; cum sit essentialiter independens ab alio tam in modo essendi quam in ipso esse: *d)* *compositione essentiæ et existentiæ;* nam primum ens vi essentiæ suæ existit, quin ab alio aut a se ipso produci queat; ac proinde ejus essentia est esse seu existere: *e)* *compositione subjecti et accidentis;* tum quia subjectum de se est in potentia ad accidens, Deo autem omnis potentialitas repugnat; tum etiam «quia Deus est suum esse, ut Boet. dicit in lib. de Heb., et licet id, quod est, aliquid aliud possit habere adjunctum, tamen ipsum esse nihil aliud adjunctum habere potest: sicut quod est calidum, potest habere aliquid extranum, quam calidum, ut albedinem; sed ipse calor nihil habet praeter calorem (1).» Atqui praeter haec compositionum realium genera nullum aliud a nobis cognoscitur; frustra autem aliquod aliud fingeretur; cum nullum sit prorsus fundamentum ad illud cogitandum. Ergo...

104. — COROLLARIUM. — *Ergo attributa Dei realiter cum essentia identificantur.* Patet consecutio: quia secus accidentia essentiæ naturalia forent, eamque informando actuarent unumque ens compositum efformarent; quod repugnat. Attributa enim determinationes quædam essentiæ sunt et cum ea unum ens constituant. — Aliqua tamen distinctio inter attributa di-divina admittenda est; *virtualis* nempe seu *rationis ratiocinationis*. Ipsa enim natura divina ratione multiplicium ac diversorum effectuum ex ea manantium præbet nobis fundamentum, ut eam diversis conceptibus concipiamus. Hæc autem attributorum distinctio, non *virtualis* major, sed minor dicenda est (O. 130). Nam, ut optime scribit Suarez, «attributa divina ita inter se comparantur, ut omnia sint de essentiali ratione cuiuslibet, et tota essentia Dei sit de ratione singulorum (2);» ita ut in conceptu formaliter explicito singulorum cetera omnia formaliter im-

(1) Id. *ibid.* art. 6. in θ. Cfr. idem S. Doctor, *de Potentia*, q. 7.

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 6, n. 10.

plicite repræsententur, cum quodlibet illorum sit ens ex se necessarium et ipsum esse per essentiam.

### Solvuntur difficultates.

105.—Obj. I. Quæ sunt a Deo, eum imitantur. Sed in rebus creatis nihil est omnino simplex. Ergo.

Resp.—*Dist. maj.*—Quæ sunt a Deo, cum imitantur sicut causam primam et æquivocam, *Conc.*: *sicut causam quamlibet et univocam*, *Neg.* Deinde *conc. min.* et *neg. cons. sub dist. data*. Ens quodlibet creatum essentialiter differt a Deo et infinite distat ab illius perfectione, cum sit in se dependens ab alio, finitum et mutabile. Hinc nulla res creata potest Deum imitari nisi tamquam causam primam et æquivocam; atque idcirco natura ejus quomodocumque composita minime arguit ullam compositionem in Deo.

106.—Obj. II. Ab omnino simplici multiplex et varium procedere nequit. Sed creaturæ a Deo procedentes sunt multiplices et variæ. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Ab omnino simplici multiplex et varium procedere nequit, *si sit causa univoca et necessitate naturæ operetur*, *Conc.*: *si sit causa æquivoca et libere agat*, *Neg.* Hinc, *concessa minore, neg. cons.* Cum effectus deficiunt a repræsentatione suæ causæ, oportet ut illud, quod in causa est unitum, in effectibus multiplicetur. Res autem creatæ, quantumvis multiplicentur, semper deficiunt a repræsentatione causæ primæ, quæ est virtutis infinitæ.

107.—Obj. III. De Deo diversa prædicantur, ut quod sit justus, sapiens, misericors, etc. Sed diversa nequeunt nisi de ente composito prædicari. Ergo.

Resp.—*Dist. maj.*—De Deo virtualiter diversa prædicantur, *Conc.*: *realiter diversa, subd. sub diversis rationibus formalibus*, *Conc.*: *sub eisdem, Neg.* Et *contrad. min., neg. conseq.* De re etiam simplici sub diversis rationibus formalibus concepta possunt contradictoria prædicari. Sic de uno eodemque puncto simplici sub diversis conce-

ptibus asserere possumus illud esse principium et finem lineæ. Idem ergo accidit in ordine ad essentiam divinam.

108.—Obj. IV. In Deo dantur tres Personæ realiter distinctæ. Sed pluralitas ad unitatem redacta sine unione realiter distinctorum concipi nequit. Ergo in Deo datur unio realiter distinctorum ac proinde realis compositio.

Resp.—*Dist. maj.*—In Deo dantur tres Personæ realiter distinctæ, *cum essentia tamen realiter identificatae*, Conc.: *secus*, Neg. Et *contrad. min. neg. conseq.* Personæ divinæ non sunt in Deo invicem unitæ, sed simpliciter relative oppositæ: unaquæque enim illarum realiter identificatur *cum essentia divina*, licet realiter a ceteris distinguatur. Sed de hoc in Theologia.

### ARTICULUS III.

#### De infinita Dei perfectione.

109.—Quid sit perfectio et quomodo dividantur perfectiones in *mixtas*, *simplices* et *simpliciter simplices* jam in Ontologia dictum est (O. 271, 275-276). Ibi etiam declaravimus modum, quo una perfectio in altera *formaliter*, *virtualiter* et *eminenter* contineri valeat. Idecirco ab iis omnibus hic iterum explicandis abstinentes, naturam tantummodo divinæ perfectionis sequentibus propositionibus manifestabimus.

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Deus omnes perfectiones possibilis in se continet; simpliciter quidem simplices formaliter, mixtas vero virtualiter tantum et eminenter.*

110.—*Prænot.*—Duæ primæ partes facile ab omnibus admittuntur: tertia vero negatur a Pantheistis, qui omnem creaturarum perfectionem in Deo cum suis propriis limitibus ponunt, esse divinum et actualissimum cum esse generico et potentiali turpiter confundentes.

111.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Perfectiones possibles sunt vel entis a se vel entis ab alio propriæ. Atqui primæ naturæ divinæ competunt, quia est ens a se; secundæ autem aliquo vero modo debent in ea existere, quoniam non nisi ab ea tamquam a primario fonte profluere possunt. Ergo... 2.<sup>o</sup> Deus omnium hominum consensu est id, quo nihil melius cogitari potest. Atqui, si non contineret in se aliquo vero sensu omnes perfectiones possibles, posset cogitari aliquid illo perfectius; id nempe, quod omnes perfectiones possibles aliquo vero sensu in se includeret. Ergo... 3.<sup>o</sup> Ex superius demonstratis Deus est quid optimum, et nobilissimum et maxime ens (32, 4.<sup>o</sup>). Sed ens hujusmodi omnes perfectiones possibles in se continet. Ergo... 4.<sup>o</sup> Deus est purum ens sine admixtione ullius capacitatis receptivæ; ejus enim essentia est esse. Sed ens purum necessario debet habere in se quidquid perfectionis in singulis rebus rationem entis participantibus existit, cum ipsum plene rationem entis possideat (1). Ergo...

112.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Deus est ens, quo melius et perfectius cogitari nequit. Sed melius est formaliter habere perfectiones simpliciter simplices, v. gr. *vitam, libertatem*, etc., quam eas non habere. Ergo....

113.—*Prob. 3.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Perfectiones mixtæ sub propria sua ratione formali incompatibilis sunt cum aliis nobilioribus, v. gr. *corporeitas* cum *absoluta spirituallitate*, in eodem subjecto: unde, si Deo sub hac propria ratione formali inessent, illas a Deo excluderent. Sed a Deo perfectiones nobiliores excludi nequeunt, cum sit ens optimum, et nobilissimum, et perfectissimum. Ergo in Deo non sunt formaliter, sed tantum virtualliter, exemplariter et eminenter; quatenus nempe Deus virtute sua eas producere valet, intellectu suo

---

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 4, art. 2; item Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 1.

eas sibi idealiter repræsentat, et in essentia sua simplicissima quadam ratione ut actus imperfecti in perfecto existunt. 2.<sup>o</sup> Deus est actualissimum ens, omni capacitate receptiva destitutum. Atqui si perfectiones mixtæ creaturarum formaliter et cum propriis ipsarum limitibus in eo existerent, Deus non foret ens actualissimum sed summe potentiale; cum aptitudinem intrinsecam haberet ad omnes creaturarum limitationes in se recipendas. Ergo... 3.<sup>o</sup> In hypothesi pantheistica Deus, non ens optimum, sed acervus omnium absurditatum dicendus esset, ut late in Cosmologia ostensum est. Ergo perfectiones creaturarum non formaliter cum suis propriis limitibus, sed alio modo altiori et perfectiori, eminenter scilicet, exemplariter et virtualiter, in Deo existant necesse est (O. 283).

Difficultates, quæ adversus tertiam hanc propositionis partem a Pantheistis objiciuntur, jam in Cosmologia solutæ sunt.

#### PROPOSITIO SECUNDA.

*Deus in essentia sua infinite perfectus est.*

114.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Forma pura nullam prorsus habens principium limitationis nec intrinsecum, nec extrinsecum, est illimitata seu infinita in genere perfectionis. Sed essentia divina est forma hujusmodi. Ergo... Major evidentissima est: forma enim omnis in se actus quidam est seu perfectio: ergo forma pura omni principio limitante carens positive illimitata seu infinita in linea formæ seu perfectionis existat necesse est. *Probatur ergo minor.* a) In primis caret principio limitationis intrinseco. Nam principium intrinsecum limitationis cujuscumque formæ sunt limites in propria ejus ratione contenti. Sic forma spiritualita-

tis ex. gr. habet principium intrinsecum limitationis; quia spiritus *determinata quædam entis species est*, habens omnes corporum species contrapositas, atque earum perfectiones non nisi imperfecto quodam modo in se includens. Atqui in ratione essentiæ divinæ propria nulli prorsus limites continentur: essentia enim divina est esse purum ad nullam entium speciem contractum et ideo rationem entis in tota ejus plenitudine in se continens. Ergo imprimis essentia hæc principio intrinsece limitante caret (1). b) Deinde caret principio limitante extrinseco. Nam principia extrinsece limitantia aliquam formam non alia possunt esse nisi causa ejus efficiens et subjectum in quo recipitur. Sed esse divinum nec habet causam efficiensem, cum sit a se; nec in subjecto ullo modo recipitur, cum esse Dei sit ipsa ejus essentia (2). Ergo... 2.º Ens a se virtute creativa gaudet ad producendum ex nihilo; siquidem res hujus mundi per veram creationem ex nihilo ab aliquo ente a se productæ fuerunt, ut ex ostensie in Cosmologia patet. Ergo Deo, utpote enti a se, hujusmodi virtus naturaliter inest. Atqui virtus hæc est simpliciter infinita: tum quia ex remo-

---

(1) «Duplex est forma, observat sapienter Cardinalis Toletus (*Comm. in 1.º p. D. Thom. q. 7, art. 1, pag. 116*). Altera, quæ in sua ratione includit limitationem alicujus speciei vel generis: ut ignis, anima, et reliqua hujusmodi; albedo, color et accidentia. Altera est, quæ nullam habet ex se limitationem, ut esse: esse enim omnem actum cujusque generis et speciei dicit, nec ex se limitationem habet: unde fit, quod, si secundum se sumatur, infinitatem actus simpliciter claudat».

(2) Hæc est pulcherrima probatio Angelici Doctoris (1. p. q. 7, art. 1), quam ipse *ut manifeste demonstrativam* habet, quamque Toletus *Comment. in hunc locum*, quæst. unica, se cunda conclusione, *egregiam* appellat. Unde mirum est existere posse aliquos, qui eam infirmam reputent.

tissima inter omnes potentias possibiles educit effectum, eum producendo ex nihilo sui et subjecti; tum quia cum omnimoda independentia operatur; tum quia ipsam rationem entis factibilis, ut sic, directe ac formaliter attingit; quod proprium est solius entis, ut sic, seu plenitudinem essendi habentis; tum denique quia ad omnia prorsus creabilia se extendit; cum solam postulet non-repugnantiam essendi ex parte objecti, quae omnibus rebus creabilibus communis est. Ergo Deus est simpliciter in perfectione infinitus, quia infinita perfectio in agendo sine infinita perfectione in essendo omnino repugnat. 3.<sup>o</sup> Omnes Philosophi tam antiqui quam recentes in agnoscenda hac Dei infinite conveniunt, cum videant ea carere non posse primum omnium rerum principium. Ergo ut res per se ipsam manifesta ab omnibus habenda est: secus enim impossibilis foret talis consensio (1).

### Solvuntur difficultates.

115.—Obj. I. Deus proprie loquendo non est nisi suum esse. Sed quævis etiam creatura est suum esse, et tamen finibus clauditur. Ergo ex eo quod Deus sit purum esse, minime sequitur eum infinitum esse in perfectione.

Resp.—*Dist. maj.*—Deus proprie loquendo non est nisi suum esse, *quod tamen est actualissimum seu omni potentialitate destitutum alque supra omnes prorsus entium species vagatur ac proinde nullis finibus clauditur in ratione essendi*, Conc.: *et hoc suum esse est esse potentiæ et intra aliquam particularem entium speciem contentum, sicut esse creaturarum accidit*, Neg. Et *contrad. min. neg. conseq.* Esse creaturarum est essentialiter

---

(1) Cfr. Toletus *loc. cit.*: qui optime explanat doctrinam D. Thomæ et ab aliquorum impetitionibus vindicat.

*potentiale et intra determinatam aliquam entium speciem contentum;* unde in ipsa notione sua formaliter exprimit limites. *E contra esse Dei nihil prorsus potentialitatis admixtum habet,* sed est *purus actus et supra omnes entium species manet;* ac proinde plenissime rationem entis possidet et nullis omnino terminis clauditur in ratione essendi. *Præterea nulla creatura est suum esse sed metaphysice in ea distinguitur essentia ab existentia:* in Deo autem e contra accidit, nam essentia Dei est esse. Unde minor neganda etiam est.

116.—Obj. II. Si Deus dicatur esse *purum esse simpliciter, esse sine addito;* confunditur cum esse abstracto et universalissimo: huic enim eadem denominations convenient. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *Dist. assert.* Esse abstracto et universalissimo convenient denominations *prædictæ diverso prorsus modo atque esse divino,* Trans.: *eodem modo, Neg.* Esse abstractum est esse purum, *sed potentiale et actuatiōnis capax;* est quoque esse sine addito actuali *sed additionis capax.* Esse vero divinum est actualissimum et omnis actuatiōnis incapax; est præterea sine addito actuali et sine capacitate recipiendi in se additionem ullam. Ex quibus patet toto cœlo unum ab altero distare (1).

117.—Obj. III. Deus etiam, non minus quam creaturæ, determinatam essentiam sibi vindicat, ac proinde non est esse simpliciter sed *hoc esse distinctum ab omni alio.* Ergo, quamvis omni potentialitate careat; non ideo tamen est infinitus in essendo.

Resp.—*Dist. 2.<sup>am</sup> p. ant.*—Deus non est esse simpliciter sed *hoc esse, id est, non est esse commune sed ipsius Dei proprium,* Conc.: *non est esse Dei proprium, quod puram actualitatem exprimit, quodque per hoc præcise quod puram actualitatem exprimat, est ab omni alio distinctum et veram infinitatem in essendo continet,* Neg. Unde *sub data dist. neg. conseq.* Ad rem optime

---

(1) Cfr. S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 3, art. 4, ad 1.<sup>am</sup>

Angelicus Doctor: «Ex hoc ipso quod esse Dei est per se subsistens non receptum, prout dicitur infinitum, distinguitur ab omnibus aliis et alia removentur ab eo. Sicut si esset albedo subsistens, ex hoc ipso quod non esset in alio, differret ab omni albedine existente in subjecto (1).»

118.—Obj. IV. Etiam esse creaturarum est irreceptum, siquidem in creaturis etiam essentia realiter identificatur cum existentia. Atqui tamen esse creaturarum est finitum. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Esse creaturarum est irreceptum secundum quid et in alio, Conc.: *simpliciter et in se*, Neg. Et concessa min., neg. *conseq. sub dist. data*. Esse creaturarum habet causam et simpliciter est quid receptum a Deo; unde habet principium limitationis. Esse autem Dei est *prorsus* irreceptum: unde nullum omnino principium limitationis ei inest. Audiamus Cardinalem Toletum: «Circa 2.<sup>um</sup> nota ex S. Thoma q. 1. de Potentia, art. 2, quod dupl. dicitur aliquid receptum: uno modo ab aliquo, quia productum est; altero modo in aliquo, quia recipitur in alio. Utraque receptio limitationem facit: nam efficiens limitat formam, similiter subjectum. Modo adverte quod essentia rei recepta est priori modo, quia a Deo pendet et procedit: essentia autem limitata limitat existentiam; quia talis est existentia, qualis essentia, in qua recipitur. Deus utroque modo irreceptus est: ob id infinitum est (2).»

119.—Obj. V. Si Deus est infinitus, non possunt intelligi extra illum alia entia; quia infinitum omnia in se claudit: sicut si existeret corpus infinitum, nullum aliud extra ipsum existere posset. Sed extra Deum innumera entia existunt, omnes nempe creaturæ. Ergo Deus non est infinitus in essendo.

Resp.—*Dist. maj.*—Si Deus est infinitus, non possunt intelligi alia entia extra illum, *id est, quibus ipse intime præsens non sit*, Conc.: *quæ ab ipso realiter dis-*

(1) Id. *ibid.* q. 7, art. 2, ad 3.<sup>um</sup>

(2) *Toletus, Comment. in 1. p. D. Thom.* q. 7, art. 1, pag. 117.

tinguantur, Neg. Et *contrad. min.*, *neg. conseq.* Ad rat. addit. *Dist. assert.* Infinitum omnia in se claudit *eo modo, quo claudi possunt*, *Conc.: aliter*, Neg. Perfectiones creaturarum nequeunt in Deo esse cum suis propriis limitibus; quia sic infinitatem ejus tollerent et vere finitum rediderent. Sunt ergo in illo alia ratione altiori et eminentiori sine imperfectionibus creaturarum propriis; quæ sane unice compatibilis est cum vera infinitate.

Ad exemplum de corpore infinito respondeo, illud non effecturum sua infinite ne præter ipsum existere possent alia corpora finita, sed tantum ne existent extra spatum ab eo occupatum et cum eo non compenetrata. Unde, si quid valet hoc exemplum, solum probat Deum ratione suæ infinitatis in essendo debere esse intime præsentem omni enti creato: quod quidem verissimum est et attributum divinæ immensitatis indigitat.

#### ARTICULUS IV.

##### De absoluta Dei immutabilitate.

120.—Mutabile dicitur illud, *quod ex uno in aliud statum transire potest*: unde absolute immutable erit illud, *quod incapax prorsus est diversorum statuum, ita ut vi essentiæ suæ semper eodem modo se habere debeat*. Porro immutabilitas hæc duplex mutationis genus excludit, *physicæ*, nempe ac *moralis*: quarum prima *in adquisitione aut ammissione alicujus entitatis physicæ consistit*, secunda vero *in adquisitione aut ammissione alicujus propositi voluntatis* (O. 321-323).

121.—Pantheistæ non modo Deum immutablem esse negant, sed etiam perpetuis et continuis mutationibus subjiciunt; ita ut immutabilitatem ejus in eo reponant, quod Deus sit *immobiliter mutabilis*. Mutationem vero tum physicam tum moralē Deo absolute repugnare sequentibus propositionibus patebit.

PROPOSITIO PRIMA.

*Deo absolute repugnat quævis mutatio physica.*

122.—*Demonst.*—Propositionem hanc ipsis argumentis et verbis Angelici Doctoris ostendam, quæ brevissima et pulcherrima sunt. «Respondeo dicendum, scribit, quod ex præmissis (q. 2. a. 3.) ostenditur Deum esse omnino immutabilem. *Primo* quidem: quia supra ostensum est (*ibid.*) esse aliquod primum ens, quod Deum dicimus: et quod hujusmodi primum ens oportet esse purum actum absque permixtione alicujus potentiae, eo quod potentia simpliciter est posterior actu. Omne autem quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentia. Ex quo patet, quod impossibile est, Deum aliquo modo mutari. *Secundo*, quia omne, quod movetur, quantum ad aliquid manet, et quantum ad aliquid transit: sicut quod movetur de albedine in nigredinem, manet secundum substantiam; et sic in omni eo quod movetur, attenditur aliqua compositio. Ostensum est autem supra (q. 3. a. 7), quod in Deo nulla est compositio, sed est omnino simplex. Unde manifestum est, quod Deus moveri non potest. *Tertio*, quia omne quod movetur, motu suo aliquid adquirit; et pertinet ad illud, quod prius non pertingebat. Deus autem, cum sit infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totis esse, non potest aliquid adquirere; nec extendere se in aliquid, ad quod prius non pertingebat. Unde nullo modo sibi competit motus (1).»

---

(1) S. Thom., *Summ. Theol.*, I. p. q. 9, art. 1.

PROPOSITIO SECUNDA.

*Repugnat pariter Deo quævis mutatio moralis.*

123.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Omne quod quocumque modo mutatur, aliquo modo est in potentia; ac proinde mutatio moralis in Deo sine aliqua potentialitate concipi nequit. Atqui Deo, utpote actui purissimo, quævis potentialitas repugnat. Ergo... 2.<sup>o</sup> Omne, quod movetur, motu suo aliquid adquirit. Atqui Deus, utpote ens infinite perfectum, in nullo genere perfectionis potest aliquid adquirere. Ergo... 3.<sup>o</sup> Mutatio propositi imperfectionem arguit in ente eam subeunte. Numquam enim fit, nisi quia judicatur malum propositum arreptum: quod quidem judicium, si verum est, imperfectionem veram propositi supponit; si autem falsum, imperfectionem realem in se ipso includit. Atqui Deo, utpote absolute perfecto, omnis prorsus imperfectio repugnat. Ergo...

**Solvuntur difficultates.**

124.—*Obj. I.* Deus ex non creante factus est creans: ergo mutatus fuit.

*Resp.—Dist. ant.*—Deus ex non creante factus est creans *per actionem ab æterno in eo manentem*, Trans.: *per actionem aliquam temporaliter in se susceptam*, Neg. *Et sub data dist. neg. conseq.* Actio creativa, prout in Deo consideratur, ab æterno fuit in Deo; siquidem nihil aliud est quam decretum circa mundi existentiam, quod ab æterno fuit in Deo.

*Inst.—1.<sup>o</sup>* Actus creandi est aliqua perfectio. Atqui perfectio hæc de novo accessit Deo; secus enim denominasset eum creatorem ab æterno. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Actus creandi est aliqua perfectio cum Dei omnipotentia realiter identificata, Conc.: ab ea realiter distincta, subd.: prout consideratur in creaturis seu in suo termino, conc.: prout consideratur in Deo, seu in suo principio, neg. Deinde nego minorem cum ejus probatione et sub data distinctione nego consequentiam. Actus creandi, prout est in Deo, est ipse Deus ac proinde quid ab æterno in Deo existens. Nec ideo creatorem ab æterno Deum denominat; quia relationes logicæ, quibus Deus ad creaturas logice refertur, non sunt æternæ sed temporales; sicut est temporale fundamentum ipsarum seu creaturarum existentia.

Inst.—2. Ex productione creaturarum Deo accessit jus proprietatis in ipsas, quo antea carebat. Sed jus proprietatis est aliqua perfectio saltem moralis. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Per productionem hanc factum est *absolutum* jus, quod jam ab æterno erat in Deo *sub forma quædam hypothetica*: natura enim divina ab æterno exigit, ut si aliquando aliqua creatura fiat, sibi essentialiter subjecta maneat.

125.—Obj. II. In Deo sunt decreta quædam libera, quæ absolute ab eo abesse potuerunt. Sed decreta hæc veram perfectionem includunt. Ergo Deus potuit carere aliqua perfectione, quam de facto habet; ac proinde est intrinsece mutabilis.

Resp.—*Dist. maj.*—Decreta Dei libera terminative sumpta absolute abesse a Deo possunt, Conc.: entitative sumpta, Neg. Et contrad. min. neg. conseq. Decreta Dei, prout exprimunt respectum quemdam Dei accidentalem ad creaturas, nullam perfectionem in Deo ponunt; sed meram relationem logicam indicant, qua Deus ab æterno ad suos effectus contingenter refertur. Proinde, quamvis Deus decreta hæc libera quæ nunc habet, non habuisset; non ideo aliqua perfectione caruisset.

## ARTICULUS V.

### De immensitate atque æternitate Dei.

126.—Immensitas divina est *ea perfectio, qua Deus essentialiter determinatus existit ad replendum sua substantia omnia spatia absque ulla sui mutatione.* Differt ab ubiquitate: hæc enim *inexistentia actualis est in rebus quibuslibet extantibus;* nec aliquid ponit in Deo nisi meram denominationem extrinsecam coexistentiæ rebus creatis: illa vero est ipsa substantia divina prout essentialiter determinata ad coexistendum omnibus spatiis actualibus et possibilibus. Æternitas autem Dei cum Boetio definiri potest: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio:* quam quidem definitionem jam in Cosmologia explicatam dedimus (C. 202).

127.—Immensitatem divinam plures inter antiquos philosophos negarunt, quorum aliqui Deum in centro mundi collocarunt, alii vero in extremas illius oras relegarunt. Æternitatem autem de medio tollunt Patheistæ, Deum perpetuo cuidam motui evolutivo subjicientes, plenaque ac simultanea vitæ possessione privantes. Verum facile utrumque hoc Dei attributum ratione naturali demonstrari potest, ut ex sequentibus propositiobus patebit.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Deus est immensus.*

128.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Magna perfectio est posse totalitate substantiæ simul coexistere omnibus et singulis partibus alicujus corporis; ut patet exemplo animæ humanæ, quæ tota simul existit in toto corpore et singulis illius partibus. Sed Deo nihil perfectionis in ullo gere negari potest, ut supra ostensum est

(111-113). Ergo... 2.<sup>o</sup> Deus necessitate essentiæ suæ est alicubi, quoniam existens est. Ergo eadem necessitate est ubique: tum quia secus esset limitatus ratione loci, quod absolutæ ejus infinitati repugnat; tum etiam quia nec cum capacitate se movendi nec sine illa potest cogitari loco circumscrip̄tus; cum capacitas se movendi immutabilitati illius aduersetur, incapacitas autem magna imperfectio sit ab ejus infinitudine maxime aliena. Sed quod necessitate essentiæ est ubique, dicitur immensum. Ergo... 3.<sup>o</sup> Nulla res creata fieri aut conservari valet sine immediata Dei actione, ut postea in quæstione de concursu probabitur. Sed Deus est præsens ubicumque agit: immediate enim et sine ullo medio interposito in objectum suæ potentiaæ actionem suam exercet, ut postulat infinita ejus perfectio. Ergo...

129.—COROLLARIUM I.<sup>um</sup>—*Ergo verius dicitur existere Mundus in Deo quam Deus in Mundo.* Patet consequentia. Nam Deus non ita est in Mundo, quasi intra fines ejus contineatur, quin possit alia spatia replere; sed universa Mundi spatia immensitate sua superexcedit, exigendo existere in omni spatio reali quocumque et in omnibus spatiis possilibus seu imaginariis aptitudinaliter existendo. Unde vere et proprie Deus ratione immensitatis suæ continet Mundum in se et minime continentur a Mundo.

130.—COROLLARIUM II.<sup>um</sup>—*Ergo Deus intra sinum immensitatis suæ Mundum creavit.* Patet ex proxime dictis in corollario præcedente. Ratio etiam divinæ immutabilitatis id postulat: si enim extra se illum produxisset, non potuisset eum postea pervadere absque aliqua sui mutatione. Mundus autem intra sinum immensitatis divinæ existit, non ut accidens aut determinatio divinæ substantiæ, sed ut ens quoddam in se ipso subsistens et a Deo distinctum. Hoc bene præ oculis habere oportet ad vitandum Pantheismi errorem.

**Solvuntur difficultates.**

131.—Obj. I. Immensitas pugnat cum divina simplicitate: nam quod immensum est, est etiam extensem. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *Dist. assert.*: Quod immensum est, est extensem *virtualiter*, *Conc.: formaliter*, *Neg.* Deus non est simplex ad modum puncti mathematici, sed ad modum spiritus. Spiritus autem non occupat locum sicut corpora, sed totus est in singulis spatii partibus substantia ejus repleti.

132.—Obj. II. Immensitas pugnat cum immutabilitate. Nam vi ejus quotidie inciperet Deus esse in rebus, quae de novo flunt: quod quidem sine mutatione in Deo non potest concipi. Ergo...

Resp.—*Neg. assert.*—Ad prob. *conc. maj. et dist. min.* Quod quidem sine mutatione *logica* in Deo non potest concipi, *Trans.*: sine mutatione *physica*, *Neg.* Præsentia actualis in rebus nihil physicum in Deo ponit, sed solam relationem logicam coexistentiæ: in Deo enim nulla relatio realis ad suas creaturas esse potest, quia Deus est extra totum ordinem creaturæ, ut recte inquit S. Thomas (1).

133.—Obj. III. Saltem argumentum ex immediata Dei actione in creaturis desumptum immensitatem ejus minime probat. Nam Deus operatur sola voluntate et intellectu: volitio autem et intellectio non necessario requirunt essentialiæ præsentiam causæ respectu sui effectus. Unde, quamvis repugnet actio in distans in creaturis, non tamen in Deo.

Resp.—*Neg. assert.*—Ad prob. *Dist. min.* Volitio et intellectio non requirunt essentialiæ præsentiam causæ respectu sui effectus, *si effectus hic mediate tantum ab illis procedat*, *Conc.: si procedat ab illis immediate*,

---

(1) S. Thom. *Summ. Thom.* 1, p. q. 13, art. 7 in 8.

Neg. Actio in distans non minus repugnat in Deo quam in creaturis. «Nam, sicut forma, ut forma est, requirit ad suum effectum formalem unionem et indistantiam cum materia; nec posset forma aliqua, quamvis fingeretur infinita, dare suum effectum sine illa propinquitate; vel sicut causa finalis ad suam causalitatem requirit propinquitatem per cognitionem; nec potest aliter illam exercere, etiamsi maxime infinita sit; ita agens, ut agens, requirit ad agendum propinquitatem et immediationem cum passo vel effectu; sine qua non potest agere, etiamsi infinitum sit. Addo multo minus id posse convenire agenti infinitae virtutis; quia agere in distans, esto in aliquo agente possit videri perfectio, non tamen potest esse perfectio simpliciter, sed supposita imperfectione: absolute tamen multo melius est esse omnino indistans a suo effectu, ut non solum ex virtute agendi, sed etiam ex modo et dispositione seu propinquitate habeat perfectionem summam in agendo, summumque dominium in effectu (1).»

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Deus est æternus.*

134.—*Demonstr.*—Vere ac proprie æternum dicitur ens vivens, principio et fine in existendo carens, et omnino iminutabile in se ipso perseverans; hoc enim evidenter infertur ex definitione æternitatis superius commemorata. Sed Deus: *a)* est ens vivens; tum quia est quid optimum ac nobilissimum; tum etiam quia natura sua intelligens est, ut omnia ejus opera aperte prædicant: *b)* principio et fine in existendo caret, cum sit ens absolute necessarium et vi suæ essentiæ existens (*O. 319*): *c)* est denique omnino immutabilis, ut ex superius demonstratis constat (122-123). Ergo...

---

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 7, n. 13.

### Solvuntur difficultates.

135.—Obj. I. Æternitas est quædam duratio. Sed de ratione durationis est successio. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—De ratione durationis *mutabilis* est successio, *Conc.*: de ratione durationis *immutabilis*, *Neg.* Et *sub data dist. neg. cons.*

136.—Obj. II. Æternitas habet parter durationis, siquidem est major tempore. Ergo non est tota simul.

Resp.—*Dist. ant.*—Æternitas habet partes durationis *virtuales*, *Conc.*: *reales*, *Neg.* Æternitas est quidem major tempore; sed cum tempore minime commensurari potest, cum sit alterius omnino ordinis et supra tempus quodvis existat.

137.—Obj. III. Si æternitas est tota simul, unumquodque instans temporis coexistit toti æternitati. Sed hoc admitti nequit, quia secus instans temporis toti æternitati coæquaretur. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Unumquodque instans toti æternitati coexistit, *ut minima tamen particula temporis, quod infinite ab æternitate distat*, *Conc.*: *ut quid in duratione æternitatem adæquans, Neg.* Æternitas est in ordine ad puncta temporum sicut centrum in ordine ad puncta alicujus circumferentiae: omnia enim simplicitate et immobilitate sua eminentissime in se claudit, quin habeat in se tempus aut aliquid successivum.

## ARTICULUS VI.

### De Dei unitate.

138.—Unitatis divinæ attributum in eo situm est, quod essentia divina in plura supposita ejusdem rationis multiplicari nequeat, sed una tantum numero existat. Quod quidem non accedit iis naturis creatis, quæ multiplicabiles sunt et tot numero existunt, quot sunt individua illarum rationem partici-

pantia.—Unitatem Dei de medio sustulerunt Pagani et Manichæi; quorum primi pluralitatem deorum, secundi vero duo prima Principia rerum, alterum summe bonum et alterum summe malum admiserunt. Ratio vero utriusque erroris falsitatem aperte demonstrat, ut ex sequentibus patebit.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Non dantur plures dii sed Deus natura unus ac singularis est.*

139.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> *Ex absoluta Dei simplicitate.* Natura enim de cuius ratione est suppositalitas, nequit in pluribus suppositis multiplicari. Suppositalitas enim idem sonat ac immultiplicabilitas (O. 364); unde, si unum ex constitutivis alicujus naturæ metaphysicæ est suppositalitas, hæc natura est essentialiter multiplicationis incapax. Atqui de ratione naturæ divinæ est suppositalitas; cum enim Deus sit absolute simplex, non datur in eo compositio ex natura et supposito, sed ejus natura per se ipsam suppositoratur (1). Ergo...

2.<sup>o</sup> *Id ipsum ex Dei infinite constat.* Nam impossibile est ut plures dii existant, quin uni desit aliqua ex iis perfectionibus, quæ alteri competunt: quæ enim in omnibus convenient, eadem prorsus sunt et re ab invicem non differunt. Sed enti absolute infinito nulla ex perfectionibus possibilibus deesse potest. Ergo, cum Deus sit infinite perfectus, impossibile est ut ejus natura sit in multis subjectis multiplicata.

3.<sup>o</sup> *Id etiam patet ex ipsa notione Dei.* Nam Deus juxta consensum omnium est id, quo nihil melius ex-

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* I. p. q. 11, art. 3.

cogitari potest. Sed si plures supponantur dii, aliquid iis melius excogitare possumus, ens nempe quod modo simplicissimo et eminentissimo in se claudat perfectiones in omnibus illis diis sparsas. Ergo... Et sane magna perfectio est non habere parem in perfectione. Ergo, cum Deus sit quid optimum et nobilissimum, singularis ei unicus in sua perfectione dicendus est. Hinc optime illud Tertulliani: «Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio quod omnium conscientia agnoscat: Deum summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Hunc enim statum æternitati censendum, quæ summum magnum Deum efficiat, dum hoc est in Deo ipsa, atque ita et cætera: ut sit Deus summum magnum, et forma, et ratione, et vi, et potestate. Cum de isto conveniat apud omnes,... {quæ erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe, ut nihil illi adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum: quia, si fuerit, adæquabitur; et si adæquabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, et, ut ita dixerim, lege quæ summo magno nihil sinit adæquari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum (1)}».

4.<sup>o</sup> *Id præterea ostenditur ex unitate mundi.* «Omnia enim, quæ sunt, inveniuntur esse ordinata ad invicem, dum quædam quibusdam deserviunt. Quæ autem diversa sunt, in unum ordinem non convenienter, nisi ab aliquo uno ordinarentur. Melius autem multa reducuntur in unum ordinem per unum, quam per multa; quia per se unius unum est causa, et multa non sunt causa unius nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo unum. Cum igitur illud, quod est primum, sit perfectissimum et per se, non per accidens, oportet, quod primum reducens omnia in unum ordinem sit unum tantum. Et hoc est Deus (2)».

---

(1) Tertullianus, *adversus Marcionem* lib. 1, cap. 3.

(2) S. Thom. *loc. cit.*

5.<sup>o</sup> *Id denique patet ex communi consensu sapientium.* Supra enim cum Suarezio observavimus fere omnes sapientes gentiles unitatem Dei agnoscisse (20). Ergo...

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Hypothesis Manichæa de duobus Principiis et absurdâ in se est, et ad originem mali explicandam non inservit.*

140.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Principium natura sua malum, dicitur *absolute* vel *relative* tale. Atqui: a) Principium absolute in se malum est pura chimæra; cum omne ens sit quid absolute bonum (O. 219); b) Principium autem *primum* natura sua alteri malum est quid contradictorium; cum de ratione entis a se sit habere plenitudinem essendi, ac proinde esse naturaliter beneficium. Ergo...

141.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Principia hæc aut æqualis virtutis esse ponuntur, aut inæqualis. Si *primum*: nihil boni aut mali in mundo esse poterit. Erunt enim velut duæ vires æquales et contrariæ, quæ necessitate suæ propriæ naturæ elidentur; ac proinde quidquid unum faciet, alterum necessitate suæ naturæ destruet. Si *secundum*; nulla in mundo boni malique admixtio esse poterit; quod enim fortius erit, non poterit non necessitate naturæ effectus alterius impedire. Ergo.....

### Solvuntur difficultates.

142.—*Obj. I.* Naturæ divinæ neganda non est ea perfectio, quam viventibus creatis convenire videmus. Sed viventia hæc natura sua fecunda sunt et filios ejusdem speciei generandi capacia. Ergo id ipsum de

Deo asserere oportet, ac proinde natura divina in pluribus individuis multiplicata existere potest.

Resp.—*Dist. maj.*—Neganda non est, *quatenus omnis creaturarum perfectio sive formaliter, sive eminenter in ea invenitur*, Conc.: *quatenus omnis creaturarum perfectio debet in ea inveniri formaliter*, Neg. Deinde, concessa minore, *dist. conseq.*: Id ipsum de Deo asserere oportet, *sed sub diversa ratione*, Conc.: *sub eadem*, Neg. Natura divina non eo modo potest esse fecunda, quo viventia hæc sensibilia, cum simplicissima omnino sit. Unde et ipsi spiritus angelici, qui altiora quædam viventia sunt et ad divinam perfectionem magis accedunt, ob suam simplicitatem alias substantias ejusdem speciei generare nequeunt. Est ergo fecunda, quatenus producere e nihilo potest multas substantias spirituales, quæ *lato quodam sensu* filii Dei sunt; et quatenus *processiones quasdam ad intra* habet, de quibus loquitur Theologia revelatione Dei illustrata tractando de SS.<sup>mo</sup> Trinitatis mysterio.

143.—Obj. II. Si unus tantum Deus summe bonus esset, nihil mali posset existere in rerum natura: nam summum bonum necessario excludit quodvis malum, utpote illi contrarium. Ergo necesse est admittere plures deos.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *Dist. assert.* Summum bonum necessario excludit *a se ipso* quodvis malum, Conc.: *a suis effectibus*, subd.: *si operetur necessitate naturæ*, Trans.: *si operetur libertate voluntatis*, Neg. Summum bonum libertate voluntatis operans, qualis est Deus, potest habere rationes speciales, ob quas *permittat* malum in suis creaturis, sinendo eas agere juxta propriam cuiusque naturam et non impediendo defectus, qui ex nativa illarum defectibilitate *per accidens* aliquando sequuntur (O. 238).

Inst.—1.<sup>o</sup> Si existeret infinitus ignis, nihil prorsus frigoris in corporibus ullis inveniri posset. Ergo par ratione, si existit unum ens summe bonum, nihil prorsus mali in rebus ab eo distinctis esse debet.

Resp.—*Neg. parit. et conseq.*—Ignis hic necessitate naturæ operaretur ac proinde necessario excluderet ab omni corpore frigus, quod in privatione caloris consistit. Deus autem, non necessitate naturæ, sed libertate voluntatis in mundo operatur; nec malum ab ejus creaturis arcendum consistit in privatione alicujus perfectionis divinæ, sed creatæ et ad ipsas creature pertinet. Unde paritas adducta nulla est. Porro exemplum ex igne desumptum tantum probat Deum ex natura sua habere summam propensionem ad benefaciendum: non sic tamen, ut ob eam nullum malum in suis creaturis permittere valeat, et ad creandum Mundum absolute optimum natura sua necessitetur (C. 261).

Inst.—2.<sup>o</sup> Si ens illud summe bonum a suis creaturis aliquod malum non arceret; hoc ideo esset, aut quia nesciret, aut quia non posset, aut quia non velle. Atqui nihil ex iis dici potest: nam *primum* cum infinita entis illius sapientia, *secundum* cum infinita potentia, *tertium* denique cum infinita ejus benignitate pugnat. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Restat enim *quartum* membrum, in quo præcise continetur ratio, cur Deus aliquod malum in suis creaturis permittere valeat; quia nempe *sic expedit*. Nam, ut optime ait S. Thomas, «cum Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo: non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum» (1).»

---

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 22, art. 2.

## CAPUT IV.

### De attributis Dei relativis.

144.—Attributa Dei relativa *illæ perfectiones* dicuntur, *quibus Deus aliquo modo ad creaturas refertur*. Quatuor autem numerantur; *intellectus* nempe, *voluntas*, *potentia* et *providentia*; de quibus totidem articulis singulatim agemus.

#### ARTICULUS PRIMUS.

##### De divino intellectu.

145.—Existere divinum intellectum res in comperto est: Dei enim sapientia atque scientia in ejus operibus clarissime reluent. Ejus igitur existentiam supponentes, primo naturam, deinde objectum, postea medium *in quo*, ac denique actus intellectus divini distinctis paragraphis investigabimus.

##### § I. QUÆNAM SIT NATURA DIVINI INTELLECTUS.

Ut brevius ac clarius propositæ quæstioni respondeamus, sequentes propositiones breviter demonstrare conabimur.

##### PROPOSITIÖ PRIMA.

*Intellectus divinus non est potentia, sed purus actus; nec ab objecto sed a se ipso proprie ad cognoscendum determinatur.*

146.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.—1.<sup>o</sup>* In Deo nihil potentialitatis esse potest, cum sit actus purissimus. Sed aliquid potentialitatis in eo esset, si intellectus ejus foret

vera potentia actuabilis et non actus. Ergo... 2.<sup>o</sup> Si intellectus divinus esset potentia quædam actuabilis quemadmodum noster, in cognoscendo acquisitione scientiæ perficeretur; siquidem ex potentia ad actum transiret. Sed hoc admitti nequit, cum intellectus divinus ex se ipso perfectissimus sit. Ergo...

147.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Si intellectus divinus vere a proprie ab objectis ad cognoscendum determinaretur, ipse de se esset in potentia ad illorum cognitionem; indigeret enim ab ipsis actuari. Sed hoc ex prima hujus propositionis parte falsum esse ostenditur. Ergo...

148.—Ad rem S. Thomas: «Cum Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit actus purus; oportet quod in eo intellectus et intellectum sint idem omnibus modis, ita scilicet ut neque creat specie intelligibili, sicut intellectus noster, cum intelligit in potentia; nec species intelligibilis sit aliud a substantia intellectus divini; sicut accidit in intellectu nostro, cum est actu intelligens: sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus divinus (1).» Dicitur tamen ab objectis determinari *logice*, quatenus objecta hæc sunt *termini quidam objectivi diversi* intuitus divini, unius et simplicissimi.

149.—*COROLLARIUM.*—I.<sup>um</sup> Ergo intellectus divinus non accipit species a rebus, quas cognoscit; sed ipse ex intrinseca perfectione sua est determinatus ad eas per cognitionem representandas. Patet consecutio: nam accipere species a rebus nihil aliud est nisi ab ipsis determinari ad earum representationem. Hinc res ab intellectu divino cognitæ non sunt nisi puri termini objectivi simpliciter terminantes scientiam divinam; atque ex parte illarum solum requiritur, ut sint in se intelligibiles, intellectus enim hic ex se est essentialiter determinatus ad representandum omne repræsentabile.

150.—*COROLLARIUM.*—II.<sup>um</sup> Ergo intellectus divinus ne ab ipsa quidem essentia divina accipit proprie speciem sui; sed ipse ex intrinseca perfectione sua est essentialiter determina-

---

(1) S. Thom. loc. cit. q. 14, art. 2.

*tus ad eam idealiter repræsentandum.* Intellectus enim divinus, prout virtus cognoscitiva est, est ex se actus purissimus, nihil prorsus potentialitatis in se admittens. Unde, ut sapienter concludit D. Thomas, «ipsa species intelligibilis est ipse intellectus divinus, et sic se ipsum per se ipsum intelligit (2).»

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Intellectus divinus nullo modo potest esse discursivus.*

151.—*Demonst.*—Dupliciter in nobis potest esse discursus; quatenus nempe post unum actum intellectionis alium ponimus, et quatenus ex una cognitione aliam inferimus. Atqui nullus ex his discursibus potest esse in Deo. Non *primus*; quia involvit veram actuū successionem, quae æternitati Dei repugnat. Non *secundus*; tum quia supponit primum, cum actus inferendi conclusionem ponatur ab intellectu post actus præmissarum; tum etiam quia imperfectionem formaliter implicat, eo quod actus inferendi est processus quidam intellectualis *ex noto ad ignotum*. Ergo...

### Solvitur quædam difficultas.

152.—Cognoscere effectum per causam est vere discurrere. Sed Deus cognoscit alia per se ipsum, sicut effectum per causam; nam hic est modus cognoscendi perfectissimus. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Cognoscere effectum *antea incognitum* per causam *prius cognitam* est discurrere, *Conc.*: Cognoscere effectum *semper cognitum* per causam *non prius cognitam* est discurrere, *Neg.* Et *contrad. min.*, *neg. cons.* Discursus verus est transitus ex noto ad ignotum, qui sane perfectioni intellectus divini repugnat.

---

(2) Id. *ibid.*

Proinde Deus ita cognoscit effectus per causas, ut tamen ex harum notitia ad illorum cognitionem non transeat, sed omnia simul uno actu intelligat.

### PROPOSITIO TERTIA.

*Intellectus divinus est infinite perfectus.*

153.—*Demons.*—Attributa, utpote effectus essentiæ, sunt secundum essentiam. Sed essentia divina est simpliciter infinita in linea essendi. Ergo et intellectus in linea intelligendi.

### § II. QUODNAM SIT INTELLECTUS DIVINI OBJECTUM.

Quæstionem hanc sequentibus propositionibus resolvemus.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Quidquid est cognoscibile, ab intellectu divino cognosci potest.*

154.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Omnisscientia est perfectio simpliciter simplex, siquidem melius est eam habere quam non habere. Ergo... 2.<sup>o</sup> Intellectus divinus, utpote attributum essentiæ infinite perfectæ, est infinite perfectus. Sed talis non esset, si aliquid ignoraret, quod aliis intellectus cognoscere valet. Ergo...

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Deus non modo se ipsum, sed universas etiam res creatas perfectissime cognoscit.*

155.—*Demonst.*—Quidquid Deus cognoscere potest, de facto et quidem perfectissime cognoscit; quoniam omni prorsus potentialitate caret ac proinde omne objectum actu cognoscit, quantum cognoscibile est.

Atqui non modo Deus, sed universæ etiam res creatæ sunt in se cognoscibiles. Ergo...

### PROPOSITIO TERTIA.

*Deus non solum res præsentes, sed etiam præteritas et futuras ab æterno cognoscit.*

156.—*Demonst.*—Quidquid Deus cognoscit, ab æterno cognoscit; secus enim transiret de potentia ad actum et rerum cognitione novam aliquam perfectiōnem adquireret, quod divinæ naturæ repugnat. Sed Deus nunc cognoscit non modo res præsentes, sed etiam præteritas et futuras: tum quia quod nunc est præteritum, aliquando fuit præsens et actu cognitum a Deo; et quod nunc est futurum, aliquando erit præsens et Deo notum; tum quia ad omnes res, sive præsentes, sive præteritas, sive futuras efficiendas et conservandas concursus divinus requiritur, qui per voluntatem cognitione directam præstatur; tum denique quia universæ res præteritæ ac futuræ pro illo tempore, in quo sunt præsentes, habent determinatam entitatem ac proinde intrinsecam cognoscibilitatem. Ergo...

### Solvuntur difficultates.

157.—*Obj. I.* Si Deus cognosceret res præsentes, scientia divina ab illis penderet. Sed scientia divina a nulla re creata pendere potest. Ergo...

*Resp.—Dist. maj.*—Scientia divina a rebus creatis penderet *terminative*, *Conc.: entitative*, *Neg.* Et *contrad. min., neg. conseq.* Intuitus divinus se habet ad instar solis; qui in diffundendis radiis suis per spatium a corporibus celestibus non pendet, sed corpora hæc suis radiis attingere nequit nisi supposita illorum existentia.

158.—Obj. II. Si Deus omnes res futuras videt, hominum libertas corruit: quod enim Deus ab æterno futurum vidiit, necessario futurum est. Ergo saltem actiones hominum liberæ a scientia futurorum removendæ sunt.

Resp.—Neg. ant.—Ad rat. addit. *Dist. assert.*: Quod Deus ab æterno futurum vidiit, necessario futurum est *necessitate consequente liberum exercitium voluntatis humanae*, *Conc.: necessitate antecedente*, Neg. Duplex est necessitas; alia *antecedens voluntatis determinationem et irresistibiliter illam causans*, et alia *consequens hanc determinationem*. Prima est *absoluta* et auctor exercitium libertatis, quia voluntatem irresistibiliter ad unum determinat. Secunda autem est *hypothetica* et exercitium libertatis supponit, nèdum extinguit; quia solum dicit non posse fieri ut non existat aliqua actio libera, si jam libere facta supponitur. Jam vero divina visio hanc solam secundi generis necessitatem inducit: quia, ut in responsione ad præcedentem difficultatem diximus, in terminando a suo objecto dependet et consequenter illo *sub hac ratione posterior est*.

159.—Obj. III. Scientia divina est æterna, actio vero hominis est temporalis. Atqui temporale sub nullo respectu potest esse æterno anterius. Ergo necessitas per divinam scientiam inducta est vere antecedens.

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Res temporalis licet entitative et in ratione entis physice sit visione divina posterior, terminative tamen et in ratione objecti prior hac visione est: sicut terminatio radii luminis ad terram posterior ipsa terra est, quamvis forte radius hic multo ante terræ formationem in spatio existat.

160.—Obj. IV. Homo impedire nequit actione sua temporali æternam Dei scientiam. Ergo hæc infert ei necessitatem antecedentem.

Resp.—*Dist. ant.*—Homo impedire nequit actione sua temporali æternam Dei scientiam *entitative sum-*

*ptam, Conc.: terminative consideratam, Neg. Et sub data dist. neg. conseq.* Scientia Dei entitative spectata est ipse Deus necessario a tota æternitate existens; terminative autem sumpta exprimit relationem quamdam contingentem ex libero humanæ voluntatis exercitio venientem. Proinde homo actione sua, quantumvis temporali, impedire potest scientiam Dei hoc secundo modo consideratam. Porro sicut Joannes videndo actiones coram eo a me factas minime impedit exercitium meæ libertatis, quia visio sua supponit jam existens hoc exercitium; ita etiam simili modo de Deo dicendum est, quia Deus actu suo simplicissimo, qui *æternitas* vocatur, videt quascumque res temporales in presentialitate sua supponendo jam existentiam ipsarum pro illo tempore determinato.

### PROPOSITIO TERTIA.

*Deus ab æterno cognoscit res pure possibles et futura conditionata libera.*

161.—*Prænot.*—Res pure possibles *illæ* dicuntur, quæ, licet habeant aptitudinem intrinsecam ad existendum, tamen numquam existent, quia Deus numquam eas vocabit ad existentiam. Futura conditionata vocantur *ea*, quæ sub conditione affirmantur vel negantur: eruntque libera, si circa actiones libere a voluntate pendas versantur, ut cum dicitur: *Si Petrus peteret veniam a Joanne, hic offensam ei remitteret.* Porro futura conditionata in *pure talia* et non *pure talia* dividuntur. Prima sunt *ea*, quæ in statu *pure conditionali* semper remanebunt, eo quod numquam purificabitur conditio, a qua ipsorum futuritio dependet. Secunda vero sunt *illa*, quorum conditio aliquando purificabitur seu in *praxim* reducetur, quæque proinde e statu *pure conditionali* ad *absolutum* transierunt atque inter vera futura numerantur. Omne enim absolute futurum præsupponit conditionate futurum: nam, si verum est ex. gr. Joannem remissurum esse offensam Petro veniam postulanti, verum quoque necessario

esse debet Joannem remissurum hanc offensam, si Petrus ab eo veniam petat. Nos in hac thesi de pure conditionatis agimus, quoniam cognitio ceterorum sufficienter jam ex præcedente patet.

162.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Res pure possibiles habent veram cognoscibilitatem; siquidem sunt *entia*, licet possibilia; et a rebus chimæricis atque absurdis intrinsece distinguuntur. Sed Deus ab æterno cognoscit quidquid habet veram cognoscibilitatem; cum omne cognoscibile ad objectum illius pertineat et numquam esse possit intellectus divinus in statu meræ potentiae respectu sui objecti. Ergo... 2.<sup>o</sup> Deus perfectissime intelligit essentiam suam; cum intellectus ejus infinita perfectione gaudeat et ab ipsa essentia realiter non distinguatur. Sed essentiam hanc plene cognoscere nequit, nisi cognoscat etiam omnia possibilia; essentia enim divina omnium possibilium fundamentum est atque ad ea logice refertur; fundamentum autem plene cognosci nequit, ni cognoscantur etiam termini ad quorum fundationem ordinem dicit. Ergo... 3.<sup>o</sup> Nullum est possibile, quod Deus nequeat ad existentiam vocare, si ei placeat. Sed nequit possibilia ad existentiam vocare, si ea non cognoscit; cum Deus ad extra non necessitate naturae sed libertate voluntatis operetur, ut postea probabitur. Ergo nullum est possibile, quod Deus non cognoscat, et proinde ab æterno non cognoverit.

163.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Deus perfectissima scientia sua cognoscit quidquid in se habet veritatem. Sed futura conditionata libera habent in se veritatem. Nam sicut in se verum est aliquos actus liberos creaturarum in determinata temporis futuri differentia esse de facto ponendos; ita etiam pari veritate multi alii in eodem instante ponerentur, si purificaretur conditio sub qua sunt futuri; sed tamen numquam de facto existent, quia conditio haec numquam purificabitur. Ergo... 2.<sup>o</sup> Sine scientia hujusmodi conditionatorum Deus nequit de rebus humanis certam et indubiam providen-

tiam gerere. Non enim nisi per quasdam conjecturas scire posset quid singuli homines sua libertate facerent, si in *iis et illis* circumstantiis ponerentur; ac proinde dum illos in determinatis circumstantiis constitueret, nesciret certo quid tandem facerent, donec eos operantes videret. Sed Deus de rebus humanis certam et indubiam providentiam gerit, ut ex inferius dicendis constabit. Ergo... 3.<sup>o</sup> Id tandem patet ex sensu omnium communi. Omnes enim, natura duce, Deum rogamus, ut nos averrat ab *hac vel illa* occasione, *hoc vel illo* officio, etc., si videt nos male nostra libertate in propriam ruinam usuros in illis constitutos. Ergo certo certius habendum est Deum perfectissime omnia hujusmodi conditionata ab æterno cognoscere.

### § III. IN QUONAM MEDIO DEUS RES SINGULAS COGNOSCAT.

164.—Quæstio hæc in Philosophia non nisi levissime attingi potest: longam enim et profundam tractationem postulat ad plenam sui resolutionem, quæ non nisi in Theologia convenienter dari potest. Illam ergo breviter expediemus.

165.—Porro medium in quo dicitur in præsente materia *objectum illud, quod logice et intentionaliter movet intellectum divinum ad cogitationem rerum, seu titulus immediatus et directus ex parte objecti existens, propter quem cognitio aliquius rei intellectui divino debetur.* Intellectus enim divinus ex parte sua nulla specie objectorum impressa indiget ad illa cognoscenda sed ipse est de se corum species, ut supra dictum est (147). Unde si pro cognitione rei *in se* intelligatur illa, quæ per speciem propriam et adæquatam rei habetur, quemadmodum S. Thomas et antiqui communiter intellexerunt, manifestum est intellectum divinum nihil prorsus cognoscere nisi *in se ipso*: quia nullam speciem a rebus accipit sed ipse ex se est rerum omnium species.

166.—Circa medium, in quo Deus se ipsum cognoscit, nulla difficultas est; patet enim eum *in se ipso* immediate sese cognoscere; quoniam hoc aperte postulat excellentia essentiæ divinæ, quæ est objectum intellectionis inter omnia dignissimum. Non idem vero accedit in ordine ad cognitionem aliorum objectorum, et ideo circa hoc datur magna discrepantia inter au-

ctores. Banneziani opinantur Deum res præsentes et futuras cognoscere in decretis suis absolutis earum existentiam prædeterminantibus; futura autem conditionata in decreto subjective absoluto et objective conditionato, quo efficaciter ab æterno decrevit præmotionem physicam ad actiones quasdam determinantem in causis liberis producere, si inveniantur in determinatis quibusdam circumstantiis. Alii vero, quoniam decreta hæc Deo injuriosa et eversiva humanæ libertatis reputant, ad alia media confugiunt. Hinc Auctores Soc. Jesu communiter cum Suarezio docent Deum tam præsentia quam cujuscumque generis futura libera directe in propria ipsorum entitate, sive absoluta, sive conditionata videre; quoniam hæc de se et ratione sui intelligibilis est, cum sit entitas vera a chimæricis realiter distincta. Aliqui tamen cum Molina existimant fatura conditionata libera videri a Deo in divina essentia naturaliter ea repræsentante, non modo quatenus possibilia sunt, sed etiam quatenus conditionate futura; futura autem absoluta ab eo cerni in decreto creandi hunc determinatum mundum his determinatis causis liberis instructum (1). Denique circa medium, in quo co-

---

(1) «Arbitramur, scribit Molina in *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis* q. 14, d. 48, rationem ob quam Deus certo cognoscat quænam pars contradictionis cujusque earum complexionum contingentium, quæ pendent a libero arbitrio creato, sit futura, non esse determinationem voluntatis divinæ, qua liberum arbitrium creatum inflectat et determinet ad unam aut alteram partem, sed esse determinationem liberam, qua liberum arbitrium in hoc vel illo ordine rerum et circumstantiarum statuit creare: neque hanc solam determinationem arbitramur esse rationem sufficientem quod certo cognoscat quæ pars contradictionis cujusque harum complexionum sit futura, sed hanc una cum comprehensione in sua essentia cujuscumque liberi arbitrii creati per scientiam naturalem, qua comprehensione ante illam determinationem voluntatis certo scit quid tale liberum arbitrium sit facturum pro sua libertate, ex hypothesi et conditione quod illud creet et constitutat in eo ordine rerum; cum tamen possit, si velit, facere oppositum; et si esset factu-

gnoscuntur a Deo possibilia, triplex datur opinio. Juxta aliquos enim non intelliguntur a Deo nisi in divina essentia; juxta alios vero non nisi directe in se ipsis; juxta alios denique et in divina essentia et in se ipsis; et hoc ultimum verius videtur.

His ita breviter explicatis, ut propositæ quæstioni aliquo modo respondeamus, sequentia brevissime dicemus.

167.—I. *Deus perfectissime se in se ipso cognoscit.* Patet manifeste: nam essentia divina est objectum divino intellectui maxime proportionatum. Unde ratione sui ipsius et propter propriam entitatem postulat ab hoc intellectu cognosci; cum vere ipsa sit objectum illius principale ac primarium.

168.—II. *Deus universas res actuales in propria ipsarum entitate cognoscit.* Ratio est: quia unaquæque ex illis habet veram et propriam entitatem atque intelligibilitatem; ac proinde ratione sui ipsius postulat cognitionem divini intellectus in illam terminatam. Verum quidem est divinum intellectum non determinari physice ad hanc cognitionem per speciem ullam a rebus creatis acceptam, ac proinde sub hoc aspectu eum in se ipso videre res extra ipsum positas. Sed hoc de ipsa essentia divina, prout objectum est divini intellectus, dici debet; essentia enim divina vere ac proprie non actuat divinum intellectum in ratione objecti, sed simpliciter terminat illius cognitionem: et tamen vere dicitur cognosci in se ipsa, quia ratione sui ipsius postulat specialem cognitionem ab omni alia distinctam. Ergo id ipsum de creaturis asseri oportet, licet ad objectum secundarium divini intellectus pertineant.

169.—III. *Deus universas etiam res præteritas in se ipsis non secus ac præsentes cognoscit.* Patet ex proxime dictis. Nam res præterite respectu temporis actualis sunt quidem præteritæ; sed respectu temporis, in quo fuerunt, vere actuales et præsentes dicendæ sunt. Unde non minus attingibiles in se ipsis sunt respectu intellectus divini, qui infinitus est et ad omnia tempora simplicissimo suo intuitu se extendit, quam res nunc actu existentes.

---

rum, ut potest, Deus id illa eadem scientia et comprehensione liberi arbitrii in sua essentia scivisset, et non id quod re ipsa scit a libero arbitrio esse agendum».

170.—IV. *Deus futura libera absoluta creaturarum non cognoscit in decretis suis absolute et efficaciter determinantibus earum voluntates ad unam partem contradictionis.* Ratio est; quia hujusmodi decreta sunt: a) *Deo injuriosa*; utpote voluntates creaturarum determinantia, non solum ad actiones bonas, sed etiam ad intrinsece inhonestas et peccaminosas: b) *eversiva libertatis humanae*; utpote imbibentia prædeterminationem physicam bannezianam aut aliam ei æquivalentem, quibus humana libertas pessumdat, ut ex dicendis patebit: c) *superflua*, quia prædetermination physica in illis imbibita superflua prorsus est ad fines a Bannezianis intentos, ut ex dicendis constat.

171.—V. *Deus futura hæc cognoscit tum in se ipsis, tum etiam in decreto, quo liberum arbitrium in hoc vel illo ordine rerum et circumstantiarum constituere statuit scientia liberorum conditionatorum instructus.* Ratio primi est; quia futura hæc, licet respectu nostri temporis sint futura, sed respectu proprii ipsorum sunt actualia; et entitatem habent non minus directe attingibilem quam hodie existentia. Et hoc est, quod multis in locis docet Angelicus Doctor, dicens futura hæc a Deo cognosci ab æterno *in ipsorum præsentialitate*. Nam præsentialitas hæc ipsa entitas horum futurorum est, prout in determinata quadam temporis differentia existens, Deoque præsens atque ipsum *logice* ad æternam sui cognitionem determinans. Nam, «licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul; quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse (1)». Ratio vero secundi est; quia Deus, scientia conditionatorum liberorum instructus, jam scit, ante quam liberum arbitrium creare decernat, quid unaquæque libera creatura per suum liberum arbitrium facheret, si in talibus et talibus adjunctis poneretur. Unde in ipso actu, quo hac scientia prædictus entia libera creare decernit et unumquodque illorum in talibus et talibus adjunctis ponere, manifestissime videt quid unumquodque illorum in his rerum adjunctis revera per suum liberum arbitrium efficiet.

---

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* q. 14, art. 13.

172.—VI. *Deus futura libera conditionata minime videt in suis decretis prædeterminantibus subjective absolutis et objective conditionatis.* Ratio est: a) quia hæc decreta, utpote prædeterminationem bannezianam implicantia, humanam libertatem evertunt: b) quia in tali modo decernendi aliquid derisorium et Deo indignum habetur. Nam Deus juxta hanc doctrinam ita diceret: *Absolute decerno immittere Tyriis ex. gr. præ-determinationem physicam pœnitentiae productricem, si apud illos siant miracula: sed simul eadem voluntate absoluta decerno, ut non siant miracula apud ipsos.* Quis non videt voluntatem immittendi talem prædeterminationem sub conditione a solo Deo pendente et quam ipse ex liberrima voluntate sua non vult adimplere, esse prorsus derisoriam, imo et cum altera de non faciendis miraculis pugnantem? Ergo hujusmodi decreta sunt prorsus rejicienda.

173.—VII. *Deus minus recte dicitur videre futura conditionata in essentia sua, sed ea in se ipsis videre potius dicendus est.* Ratio primi est: quia essentia, ut talis, non exhibet nisi quæ simpliciter necessaria sunt; futura autem conditionata aliquid in se contingentiæ exprimunt, licet conditionalis et hypotheticæ. Ratio vero secundi in hoc cernitur, quod futura conditionata in se ipsis formaliter exprimunt determinatam quamdam veritatem, ac proinde ex se ipsis logice determinant intellectum divinum ad ea intuitu directo respicienda.

174.—VIII. *Denique possibilia Deus tum in essentia sua tum etiam in se ipsis cognoscit.* Ratio est; quia tum essentia divina, tum etiam ipsa entitas possibilium titulum fundant, cur intuitus divinus debeat ad omnia possibilia extendi. Et sane, essentia divina inter alias perfectiones suas hanc etiam habet, ut sit fons et origo omnis possibilitatis: ergo ut plene cognoscatur ab intellectu divino, debet ab eo videri sub ratione etiam originis et fontis omnis possibilitatis; quod quidem formalem et expressam omnium possibilium cognitionem postulat. Pariter possibilia in se ipsis formaliter exprimunt determinatam quamdam veritatem; ergo ex se ipsis postulant ut intuitus divinus ad ea etiam extendatur; ac proinde sua intrinseca entitate titulum fundant, cur ab intellectu divino cognosci debeat.

Atque hæc ad rem præsentem sufficient: de illis enim melius, ut diximus, in Theologia tractatur.

#### § IV.—AN ET QUOTUPLEX SIT SCIENTIA IN DEO.

Quid sit scientia jam in Logica explicatum est (L. 554). Ad propositæ ergo quæstionis resolutionem statim venientes has tres propositiones breviter ostendere conabimur.

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Datur in Deo veri nominis scientia et quidem perfectissima.*

175.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Scientia stricte dicta est perfectio simpliciter simplex, siquidem melius est eam habere quam non habere. Ergo Deo, utpote infinito in essendo, deficere nequit. 2.<sup>o</sup> Ordo et pulchritudo hujus universi excellentissimam sui Conditoris scientiam clare prædicant. Sed hujus universi Conditor Deus est. Ergo...

176.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—In Deo, utpote infinite perfecto, nulla prorsus imperfectio inveniri potest. Ergo scientia, qua Deus pollet, omni prorsus imperfectione caret. Unde nec discursiva est, nec aliquid admixtum obscuritatis habet, nec ab objectis causatur, nec ex diversis ideis realiter distinctis constat, nec denique ab intellectu divino realiter distinguitur; sed est purissimus actus ex se respiciens cuncta cognoscibilia modo perfectissimo.

## PROPOSITIO SECUNDA.

*Objectum primarium scientiæ divinæ Deus est, cetera vero ad objectum ejus secundarium spectant.*

177.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Illud dicitur objectum primarium alicujus scientiæ, quod præcipue ac principaliter illa respicit, utpote intellectui scientiam illam habentis magis attemperatum. Sed inter omnia, quæ intellectus divinus respicere potest, nihil est tam attemperatum huic intellectui quam ipse Deus. Ergo...

178.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Patet ex præcedente. Solummodo hic notare oportet, non esse idem objectum *secundarium* et objectum *indirectum*. Creaturæ namque ad objectum quidem scientiæ divinæ secundarium seu minus principale spectant; directe tamen seu in se ipsis a Deo cognoscuntur, ut ex dictis in præcedente paragrapho constat. Porro idem esset secundarium atque indirectum, si intellectus divinus indigeret specie impressa ex parte objecti ad intelligendum; quia tunc species hæc non alia foret nisi essentia divina in ratione objecti, quæ directe nequit per modum objecti impellere divinum intellectum nisi ad sui cognitionem. Sed jam supra notavimus intellectum divinum non indigere specie ulla impressa illum determinante, sed ex se ipso esse essentialiter determinatum ad idealiter repræsentanda omnia objecta omnibus modis, quibus repræsentabilia sunt.

PROPOSITIO TERTIA.

*Scientia divina, licet in se simplicissima sit et purissimus actus, tamen ratione objecti generatim dividitur: 1.<sup>o</sup> in necessariam et contingentem; 2.<sup>o</sup> in scientiam simplicis intelligentiae et scientiam visionis; 3.<sup>o</sup> in scientias approbationis, simplicis notitiae et reprobationis; 4.<sup>o</sup> denique in speculativam et practicam.*

179.—*Demonst.*—In Deo tot scientiae ratione objecti agnoscendi debent, quod sunt species objectorum, ad quae intuitus divinus ex intrinseca natura sua extendi potest. Sed objecta ejusmodi generali quadam ratione considerata in praedictas species distribuuntur, ut ex illorum consideratione facile patet. Ergo...  
a) Porro scientia Dei necessaria pro objecto habet omne de se necessarium, ut *essentiam divinam, possibilia, etc.*; et proinde antecedit omne decretum Dei liberum. Scientia vero contingens versatur circa omnia contingentia, qualia sunt *existentia mundi et decreta Dei libera*, quorum existentiam præsupponit.  
b) Scientia simplicis intelligentiae est illa, quae res attingit sub ratione præcisa possibilitatis, sive in statu possibilitatis inveniantur, sive non: unde et circa res præsentes versatur, quatenus intrinsece aptas ad existendum. Scientia autem visionis pro objecto habet res ut de facto existentes, sive in tempore, sive in æternitate: unde illarum existentiam supponit et natura illis posterior est. c) Scientia approbationis objectum suum exprimit ut Deo placens vel divina complacentia dignum: e contra scientia reprobationis objectum exhibet Deum ad indignationem movens: scientia denique simplicis notitiae circa objectum

versatur, quod de se nullam indignitatem neque ullam pariter dignitatem ad affectum prosecutivum exprimit. *d)* Tandem scientia speculativa versatur tum circa objectum non operabile, quales sunt essentia divina, essentiæ rerum, etc.; tum circa operabile, sed non qua operabile. Practica vero habet pro objecto res operabiles, qua operabiles et ad effectiōnem ordinatas.

180.—**SCHOLIUM.**—Divisio scientiæ divinæ, quam fecimus, objecta sub quadam generalitate considerat. Si autem velimus aliam accuratiorem instituere, scientiam quamdam *medianam* inter scientias necessariam et contingentem, et aliquid utriusque participantem agnoscerē debemus. Et re quidem vera, sicut præter scientias speculativam et practicam, teste D. Thoma (i), datur alia media, quæ partim speculativa est et partim practica; ita etiam præter scientias necessariam et contingentem alia media existit futura libera conditionata pro objecto habens, necessariaque posterior et contingente anterior. Futura enim libera conditionata nec simpliciter necessaria sunt, cum aliquid contingentiae conditionatae includant; nec simpliciter contingentia, cum de facto numquam extitura sint. Posteriorius item natura cognoscuntur a Deo quam possibilia, quia hæc minime dependent a decretis divinis; et prius quam absolute futura, quia prius est rem existere sub aliqua conditione quam existere absolute. Proinde parum prudenter egisse dicendi sunt Banneziani hanc divisionem acriter impetendo a Molina factam. Poterant enim scientiæ hujus mediae naturam juxta suas doctrinas explicare; scientiam autem ipsam medianam negare non poterant, nisi ipsa futura conditio-nata libera divinæ cognitioni eriperent: quod et aliqui temere ausi fuerunt. Molinam præterea tamquam de inventione hujus scientiæ sese gloriantem traduxerunt; cum tamen Molina scientiæ mediæ existentiam ex testimoniosis Scripturæ et Patrum, non vero ex rationibus ullis ignotis, ostenderit. Hoc profecto ii auctores minime fecissent, si ipsum opus Molinæ, ut rei natura

---

(i) Cfr. Suarez, *de Gratia*, part. 1, Prolegom. 2, cap. 1.

et proprius ipsorum honor postulabant, ante quam opugnas-sent, legissent. Sed de iis satis; latiorem enim horum tracta-tionem Theologis relinquimus.

## ARTICULUS II.

### De divina voluntate.

Tria in hoc articulo consideranda assumimus: an scilicet et quotuplex sit in Deo voluntas, an in Deo agnoscendum sit liberum arbitrium, ac denique quomodo divina libertas cum absoluta Dei immutabilitate componi queat.

#### § I. AN ET QUOTUPLEX SIT IN DEO VOLUNTAS.

Voluntas est appetitus rationalis, quo in bonum tendimus per rationem apprehensum. An et quatuplex sit hic appetitus in Deo sequentibus propositionibus dicemus.

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Existit in Deo proprii nominis voluntas, eaque perfectissima.*

181.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Voluntas stricte dicta est perfec-tio propria entis intelligentis. Sed Deo veri nominis intellectum convenire ex superius demonstratis con-stat. Ergo... 2.<sup>o</sup> Sine voluntate proprie dicta nec libertas, nec sanctitas possunt esse in Deo. Sed nullum ex iis attributis ei negari quit. Ergo...

182.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—In Deo, utpote infinito in essen-do, nulla prorsus imperfectio esse potest. Ergo volun-tas in eo agnoscenda est ab omni defectu et limitatio-ne libera: quæ proinde nihil potentialitatis habet, sed est actus quidam purissimus et simplicissimus, sicut ipse intellectus. Propter eamdem rationem actus prosecutivi

et aversativi, qui a nostra valuntate eliciuntur, voluntati divinæ tribui non possunt nisi quatenus suis imperfectionibus et limitationibus depurgati. Imo aliqui ex illis, ut *dolor, tristitia, pœnitentia*, solum metaphorice de Deo asseri valent; quia in suo conceptu formaliter imperfectionem includunt. Hinc etiam nullus actus volendi in Deo habet aliquam causam. Deus enim, «sicut uno actu omnia in essentia sua intelligit, ita uno actu omnia vult in sua bonitate. Unde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus in causa; ita velle finem non est ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem; sed tamen vult ea quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc (1).»

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Voluntas divina, licet in se simplicissima, nihilominus ratione objecti præsertim dividitur: 1.<sup>o</sup> in voluntatem beneplaciti et voluntatem signi; 2.<sup>o</sup> in antecedentem et consequentem; 3.<sup>o</sup> in absolutam et conditionatam; 4.<sup>o</sup> in efficacem et inefficacem; 5.<sup>o</sup> in necessariam denique et liberam.*

183.—*Demonst.*—Eæ sunt diversæ species voluntatis a Philosophis et Theologis in Deo tamquam præcipuae admissæ: et aliunde sufficit singulas ex illis breviter explicare, ut veritas assertæ propositionis pateat. Ergo...

a) Porro voluntas beneplaciti *ea dicitur, quæ vera ac propria voluntas est, verumque actum, sive prosecutum, sive aversativum, in Deo existentem exprimit.* Voluntas vero signi non proprie voluntas, sed *signum divinæ voluntatis est.* Signa autem voluntatis divinæ hoc versiculo continentur: *Præcipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet:* quæ quidem semper indicant

---

(1) S. Thom. *Summ. Theol.*, I. p. q. 19, art. 5.

aliquem affectum interius in Deo existentem, licet aliquando hic affectus non realiter ille ipse sit, quem ea primo aspectu significare videntur; ut cum Deus ex. gr. Abrahamo mactationem sui filii præcepit, non mactationem ipsam, sed actum obedientiæ interius desiderabat.

b) Voluntas antecedens vocatur *ea voluntas beneplaciti, qua Deus vult aliquid objectum in se et a circumstantiis particularibus abstractum*; ut cum, inspecta in se natura humana absque consideratione peccatorum, quæ malo usu suæ libertatis pravi homines patrant, dicitur Deus habere seriam et sinceram voluntatem salvandi omnes. Voluntas vero consequens dicitur *ea voluntas beneplaciti, qua Deus objectum aliquid vult quatenus quibusdam circumstantiis affectum*; ut cum, inspecta perseverantia hominis in peccato usque ad mortem, vult eum æterna morte puniri et æterna salute privari.

c) Voluntas Dei absoluta *ea est, qua aliquid independenter ab omni conditione vult*: conditionata vero est *illa, qua aliquid vult dependenter ab aliqua conditione*. Circa hanc autem voluntatem conditionatam notare oportet, eam non posse in Deo existere, si conditio a qua pendere supponitur, sit a solo Deo adimplenda. Ridicule enim imponeret sibi hujusmodi conditionem ad volendum efficaciter aliquid; cum hoc idem esset ac dicere: *Volo, si volo*. Quando autem conditio prædicta adimpleri debet, non quidem a se solo, sed a creatura aliqua libera auxilio ejus adjuta, tunc optime in Deo haberi potest: quia tunc ratio cur ex tali voluntate divina non sequatur effectus ab ea desideratus jam non ipsi Deo sed creaturæ tribui debet; ut cum gubernator vult felicitatem civium dependenter ab eorum libertate et facit quantum est in se ut illam assequantur, infelicitas ex eorum criminibus exorta, non ei, sed ipsis civibus est imputanda.

d) Voluntas Dei efficax vocatur illa, *quæ semper impletur et effectum suum obtinet*: inefficax e contra

est *ex voluntas beneplaciti*, quæ ob circumstantias aliquas accidentales ex creaturarum operationibus exortas effectu suo frustratur. Porro dari hanc voluntatem inefficacem in Deo certo certius est: Deus enim, utpote sanctissimus et optimus hominum gubernator, sincere vult ut nulla hominum peccata existant, et tamen contrarium accidit ob malum usum humanæ libertatis; quem ipse patientissime permittit, ut in manu hominis sit bonum et malum, ignis et aqua, vita et mors. Exinde vero manifeste sequitur non omnem Dei voluntatem in rebus creatis impleri, sed tantum efficacem. Qui autem abusu suæ libertatis voluntatem Dei frustant, non omnino eidem se subtrahunt, sed sub altero aspectu in eam incurront: sic enim facientes subtrahunt se quidem ordini divinæ misericordiæ, sed simul incident in ordinem divinæ justitiae, quæ nullum peccatum inultum abire sinit.

e) Denique voluntas Dei necessaria dicitur *ea, qua se ipsum amat*; libera autem est *illa, qua creaturas ad existentiam vocat et in accepta existentia conservat*. Deum enim necessario se ipsum amare, creaturas autem libere ex perfectissima Dei ipsius natura manifeste sequitur; quod quidem ex dicendis in sequenti paragrapho patebit.

## § II.—AN DETUR IN DEO VOLUNTAS LIBERA.

184.—Libertas est immunitas a neccesitate: dividiturque in libertatem *spontaneitatis* et *indifferentiæ*; prout necessitas, a qua ens liberum immune existit, *extrinseca* tantum est vel etiam *intrinseca* (Ps. 261-262). Deum libertate spontaneitatis pollere fatentur quotquot Deum aliquo modo admittunt. Libertatem autem indifferentiæ seu immunitatem a necessitate intrinseca ab eo removent Fatalistæ, Pantheistæ et quotquot necessitate naturæ res omnes creatas producentem et conservantem inducunt. Ratio autem manifeste demonstrat utramque libertatem Deo esse adscribendam, quamvis et se ipsum necessario amet et peccatum quodvis necessario detestetur. Quare sit sequens

### PROPOSITIO.

*Deus neccesitate quidem naturæ se ipsum amat et quodvis peccatum detestatur; sed libertate indifferentiæ gaudet tum in omnibus operibus ad extra, tum etiam in ipsa permissione peccati.*

185.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Omne ens necessario amat bonum suæ propriæ felicitatis. Sed bonum felicitatis divinæ non est nisi ipse Deus. Sicut enim Deus nullo alio indiget ad existendum sed ipse sibi sufficit, ita etiam ad plena felicitate fruendum. Ergo...

186.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Deus essentialiter sanctus est, sanctitas enim est unum ex præcipuis attributis Divinitatis. Sed sanctitas essentialis necessariam detectionem parit cujuscumque peccati. Ergo...

187.—*Prob. 3.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Deus res a se distinctas in tantum vult, in quantum ordinantur ad suam beatitudinem ut in finem; quoniam finis proprius voluntatis divinæ, in quo bonum suæ felicitatis consistit, solus Deus est. Ergo vera libertate indifferentiæ eas amat, si ad ejus felicitatem necessariæ non sunt: voluntas enim necessitate naturæ non amat nisi bonum felicitatis et quæ ad ejus possessionem necessario requiruntur. Atqui nulla prorsus res creata necessaria est ad felicitatem divinam: beatitas enim divina ex se perfecta est, et esse potest sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex illis accrescat; ac proinde ipsa sibi sufficit ad propriam felicitatem (1). Ergo... 2.<sup>o</sup> Si Deus necessitate naturæ ad extra operaretur: a) nulla in eo agnoscenda liberalitas esset, cum hæc a libertate nomen sumat; b) num-

---

(1) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 19, art. 3.; item *contra gent.* lib. 2, cap. 23.

quam esset ab hominibus *orandus* ad beneficia ejus obtinenda aut ad vindictas ejus avertendas, cum oratio ad sola agentia libera dirigi possit; c) omnia, quæ in mundo eveniunt, inflexibili necessitate fierent, cum necessitas primi motoris in ceteros omnes motores secundarios transmitteretur; d) nulla denique libertas indifferentæ esset in hominibus, cum Deus suis creaturis dare nequeat perfectionem qua ipse caret. Sed hæc omnia aperte falsa sunt et Deum ipsum de medio tollunt. Ergo...

188.—*Prob. 4.<sup>a</sup> p.*—Deus, utpote provisor universalis totius entis, multos defectus in universo permettere valet, quos alii particulares non possunt. Nam «provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest: sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi (1)». Atqui inter defectus, quos potest permettere, recenseri debent etiam peccata: tum quia hoc modo unaquæque creatura libera relinquitur in manu consilii sui juxta suam naturam, ut eligat bonum vel malum, vitamque vel mortem pro sua voluntate; tum etiam qui secus impossibilem redderentur præclarissimi actus virtutum, qui magis nobilitant naturam humanam; non enim esset ex. gr. *patientia* martyrum sine persecutione tyrannorum; tum denique quia sine permissione peccati non possent clare fulgere præclarissima attributa divina, quibus peccatores vocat et expectat ad poenitentiam, conversos ad suam amicitiam benignissime admittit, obdutatos suis punitionibus castigat (2). Ergo... Hinc op-

(1) S. Thom. *loc. cit.* q. 22, art. 2, ad 2.<sup>um</sup>

(2) Cfr. S. Thom. *Summ. Theol.* q. 22, art. 2, ad 2.<sup>um</sup>

time S. Augustinus: «Melius (Deus) judicavit de malis benefacere quam nulla mala esse permittere (1)».

### Solvuntur difficultates.

189.—Obj. I. Sicut Deus indifferens esse nequit ad essendum vel non essendum, ita ad creandum vel non creandum. Ergo Deus non gaudet libertate indifferentiae.

Resp.—*Dist. 2.<sup>am</sup> part. ant.*—Deus nequit esse indifferens ad creandum vel non creandum *indifferentia suspensiva*, quæ admittat transitum ex potentia ad actum, *Conc.: indifferentia non suspensiva*, quæ solum indicet simplicem contingentiam effectus a Deo causati, Neg. Et *sub data dist. neg. cons.* Indifferentia voluntatis divinæ non est sicut nostra, quæ veram potentialitatem in nobis supponit et imperfecta est: sed simplicem perfectionem indicat, qua Deus sine ulla prorsus necessitate res omnes finitas producit.

190.—Obj. II. Libertas indifferentiae pugnat cum immutabilitate divina. Ergo...

Resp. *Neg. ant.*—Immutabilitas Dei in hoc consistit, quod Deus neque physice neque moraliter possit transire ex uno statu in alterum. Jam vero hoc bene cohæret cum decreto Dei libero creandi mundum: nam decretum hoc ab æterno exstat in Deo et quidem immutabiliter, quin possibile jam sit potentia consequente ipsum non esse in Deo.

191.—Obj. III. Si decretum creandi mundum ab æterno fuit in Deo, Deus numquam fuit indifferens ad illud ponendum vel non ponendum: nam ante quodvis instans virtuale æternitatis jam debet Deus esse determinatus ad mundum creandum. Sed si numquam fuit indifferens, numquam fuit liber. Ergo...

---

(1) S. August. *Enchirid.*, cap. 27.

Rep.—*Dist. maj.*—Si decretum etc., Deus numquam fuit indifferens *indifferentia suspensionis*, Conc.: *indifferentia electionis indicante solam absentiam necessitatis*, Neg. Ad rat. addit. *Neg. conseq.* Ante quodvis instans virtuale æternitatis, quod correspondet tempori, est tota æternitas; nam æternitas totum tempus ambit ipsumque superexcedit. Jam vero Deus in æternitate ipsa, et non in aliqua ejus parte virtuali, quæ corresponeat tempori, sese determinavit ad creandum mundum, quin ullum momentum suspensionis in eo præcesserit. Ergo ex eo quod ante quodlibet instans virtuale æternitatis jam debuerit esse Deus determinatus ad creandum mundum, non sequitur numquam fuisse eum indifferentem *indifferentia electiva*.

192.—Obj. IV. Decretum producendi mundum ita Deo inest, ut non potuerit ei non esse; secus enim caruisset Deus perfectione infinita, quam exprimit ipsum decretum. Sed decretum quod non potuit Deo non esse, est illi necessarium. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Decretum producendi mundum non potuit Deo non esse *quoad entitatem suam*, Conc.: *quoad suam terminationem*. Neg. Et *contrad. min., neg. conseq.* Ad rat. addit. *Neg. assert. sub eadem distinctione.* In decreto divino duæ res considerandæ sunt; entitas scilicet decreti et terminatio ejus ad mundi existentiam. Prima necessario a tota æternitate Deo inest, siquidem realiter identificatur cum ipsa Dei essentia. Secunda inest quidem Deo a tota æternitate, sed contingenter seu ita ut potuerit ab eo abesse. Quamvis autem abfuisset, nulla Deus actuali sua perfectione caruisset: nam terminatio prædicta non est proprie perfectio Dei aliqua, sed *relatio quædam logica voluntatis divinæ ad objectum per eam libere electum*.

193.—Obj. V. Si terminatio prædicta non est proprie perfectio divinæ essentiæ, poterit Deus illam mutare in aliam absque ulla ipsius mutatione. Atqui hoc repugnat, quia ponit in Deo potentiam retractandi decreta sua et in alia mutandi. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Si terminatio etc., poterit Deus illam mutare in aliam absque ulla mutatione ipsius *physica*, Conc.: absque ulla mutatione *moralis*, Neg. Et *concessa minore, neg. conseq. sub dist. data.* Essentiae divinæ non minus moralis quam physica mutatio repugnat, ut ex supra ostensis patet (123).

194.—Obj. VI. . Deus vult res creatas propter sui ipsius bonitatem. Sed hanc amat necessario. Ergo et illas...

Resp.—*Concessis majore et minore, nego conseq.*  
«Licet Deus ex necessitate velit bonitatem suam, non tamen ex necessitate vult ea quæ vult propter benitatem suam; quia bonitas ejus potest esse sine aliis (1)».

195.—Obj. VII. Deus, utpote in se perfectissimus, habet quam maximam propensionem naturalem ad se aliis communicandum. Atqui propensio hujusmodi nequit eum relinquere indifferenter ad se communicandum vel non communicandum. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Deus habet quam maximam propensionem naturalem *per judicium prudentiae regulatam* ad se aliis communicandum, Conc.: propensionem naturalem *cœcam et causarum non intelligentium propriam*, Neg. Et *contrad. min., neg. conseq.* Propensio Dei ad se aliis communicandum proprie nec naturalis, nec innaturalis est, sed *simpliciter voluntaria*, ut recte inquit D. Thomas (2): quia Deus nec necessitate naturæ trahitur ad se aliis communicandum, cum nihil ei perfectionis ex tali communicatione accrescat; nec potestate caret ut se communicet, si hoc judicio suæ prudentiae conveniens judicet. Propensio ergo hæc est entium intelligentium propria; quæ libertati electionis minime nocet, quia per judicium rationis regulatur (3).

---

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* q. 19, art. 3, ad 2.<sup>um</sup>

(2) Id. *ibid.* ad 3.<sup>um</sup>

(3) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, nn. 20-51.

§ III.—QUOMODO CUM ABSOLUTA DEO IMMUTABILITATE  
DIVINA LIBERTAS COMPONI VALEAT.

196.—Hæc est una ex difficultatibus obscurioribus, quas de Deo tractant Philosophi ac Theologi: unde aliquid de ea a nobis dicendum est. Tota autem in eo fundatur, quod non satis clare videatur quomodo actus liberi in Deo esse possint. Nam, si sunt liberi, a Deo absolute abesse potuerunt; si autem absuiscent, aliqua Deus nunc perfectione careret per illos importata.

197.—Ad hanc difficultatem enodandam variae sententiae inventae sunt, quarum tres præcipuas enumerabimus. Prima est eorum, qui dicunt volitionem divinam compleri in esse volitionis liberæ per aliquem terminum realem Deo extrinsecum vi illius contingenter existentem in aliqua temporis differentia. Unde hi volitionem Dei liberam ut sic esse dicunt, non formam simplicem, sed quidpiam complexe significabile, realiter integratum ex tendentia vitali effectiva Deo intrinseca et connotato extrinseco vi istius tendentiae posito in esse; sic tamen ut principaliter et in recto importet tendentiam vitalem, ratione cuius dicitur simpliciter Deo intrinseca, vitalis, æterna, etc (1).

198.—Secundam tenent quotquot cum Cajetano existimant volitionem Dei liberam superaddere perfectionem quamdam Deo intrinsecam et ab eo solum virtualiter distinctam, quæ tamen accidentaliter ei conveniat et ab æterno abesse ab eo potuerit, et quidem absque ulla imperfectione; quia, si in Deo non fuisset perfectio accidentalis et libera, qua mundi ex. gr. existentiam decrevit, exstitisset alia opposita et æque perfecta, qua mundi non-existentiam positive voluisset.

199.—Tertiam denique sequuntur illi omnes, qui cum Suarezio dicunt eumdem prorsus actum divinum, in entitate sua necessarium et cum divina essentia realiter identificatum, pro infinita perfectione sua habere virtutem respiciendi seu terminandi omnia objecta secundum propriam singulorum dignitatem, essentiam nempe et universa attributa divina necessario, creaturas vero libere.

---

(1) Ita inter alios P. Platel, *De Deo uno*, cap. 4, § I, nn. 142-143.

200.—Ex his tribus sententiis prima parum fundata videtur. Nam necessitas et contingentia proprietates sunt ipsius actus voluntatis, non vero termini circa quem actus versatur. Imo terminus volitionis divinae in tantum dicitur contingenter amatus vel rejectus, in quantum actus divinus contingenter eum respicit sub ratione volitionis vel nolitionis. Secundam improbabilem omnino censeo. Mutationem enim veram in Deum inducit, perfectionem realem in eo reponens quae absolute potuerit ab eo abesse. Præterea perfectionem accidentalem Deo tributam cum divina essentia realiter identificat, quae est perfectio Dei absolute necessaria et essentialis, quæque proinde minime abesse a Deo potest: in quo manifesta repugnantia cernitur. Restat igitur unice tertia; quæ, licet difficilis videatur respectu intellectus nostri res divinas non nisi ad modum humanarum concipere valentis, sola acceptabilis est.

201.—Certe actus divinae volitionis, licet necessarius in existendo, utpote cum divina essentia realiter identificatus, liber in terminando creaturas dicendus est; quoniam ab hac libera ejus terminatione creature ipsæ contingentes denominantur. Ergo in terminatione hac libera, quæ ad modum relationis rationis, in Deo et non in creaturis fundamentum suum habentis, a nobis concipitur, exercitium divinae libertatis reponendum est. Nec vero admirationem movere debet, quod in re necessaria tendentia contingens ponatur. Nam, si res bene perpendicularis, inveniemus profecto hoc, non solum in Deo, sed in nobis etiam contingere. Nos enim non exercemus libertatem nostram, quatenus recipimus in nobis actum volitivum, sed quatenus illum contingenter elicimus. Unde, etiamsi actus hic extra nos in alio subjecto reciperetur, adhuc libere illum vellemus; quia contingenter a nostra voluntate semper procederet seu contingenter ab ea respiceretur. Jam vero respectus hic voluntatis, anterior ipso actu per eam elicto illique rationem contingentiæ tribuens, entitative ab ipsa voluntate non differt, sed est ipsa voluntas prout contingenter seu non necessario illum causat. Pari ergo ratione voluntas divina, licet entitative in se necessaria, contingenter respicit sub forma volitionis mundum, rationem illi contingentiæ tribuens: ita ut mundus intrinsece quidem pertineat ad exercitium libertatis divinae, non tamen ut

quid constituens hoc exercitium, sed simpliciter illud immediate terminans; sicut actus liberi in nobis sunt quidem termini immediati exercitii nostrae libertatis, non autem ipsum exercitium: hoc enim ab ipsa voluntate prout contingenter illos emittente non differt, ut notatum est (1).

### ARTICULUS III.

#### De divina potentia.

202.—Divina potentia dicitur *virtus illa activa, qua Deus res a se distinctas efficienter producit*. Actiones, quibus potentia hæc effectus suos causat, tres recensentur; *creatio* nempe, *conservatio* et *concurrus* cum causis secundis. Hinc de natura tum divinæ potentiae, tum actionum ejusdem distinctis quatuor paragraphis agemus.

#### § I.—AN EXISTAT IN DEO POTENTIA ACTIVA ET QUALIS SIT.

Quæstionem propositam sequentibus conclusionibus resolvemus.

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Existit in Deo vera potentia activa.*

203.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Potentia activa magnam in conceptu suo perfectionem et nullam imperfectionem involvit. Sed Deo, utpote perfectissimo, tribuendum est quidquid rationem puræ perfectionis implicat. Ergo... 2.<sup>o</sup> Deus actione vera ac reali res hujus mundi ex nihilo produxit, ut ex dictis in Cosmologia constat (C. 225). Sed actio vera et realis potentiam realiter activam postulat. Ergo...

---

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 9.

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Potentia Dei activa infinita est.*

204.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Talis est potentia rei, qualis est essentia. Sed essentia Dei est simpliciter infinita in linea essendi. Ergo et ejus potentia activa in virtute agendi. 2.<sup>o</sup> Unumquodque attributum Dei debet esse simpliciter infinitum in sua linea; secus enim Deus non esset id, quo nihil melius cogitari potest. Ergo...

**Solvitur quædam difficultas.**

205.—Potentiae activæ infinitæ effectus infinitus correspondet. Sed nullus effectus e divina potentia procedens est infinitus. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Potentiae activæ infinitæ correspondet effectus infinitus *quoad modum agendi*, *Conc.: quoad ipsum effectum*, Neg. Et *contradist. min. neg. conseq.* Modus, quo potentia divina suos effectus operatur, simpliciter infinitus est. Cum independencia enim absoluta ab omni alio ente producit illos Deus sua virtute, solamque intrinsecam possibilitatem ex parte illorum postulat: qui agendi modus perfectionem simpliciter infinitam in agente postulat.

### PROPOSITIO TERTIA.

*Deus ratione sue potentiae activæ omnipotens dicendus est.*

206.—*Demonst.*—Omnipotens dici debet ille, qui sua potentia efficere valet quidquid habet rationem entis factibilis seu intrinsece possibile est. Sed Deus

ratione suæ potentiae activæ efficere potest quidquid habet rationem entis factibilis. «Unicuique enim potentiae activæ correspondet possibile ut objectum proprium secundum rationem illius actus, in quo fundatur potentia activa, sicut potentia calefactiva refertur, ut ad proprium objectum, ad esse calefactibile. Esse autem divinum, super quod ratio divinæ potentiae fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem. Unde quidquid potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens (1)». Ergo...

### Solvuntur difficultates.

207.—Obj. I. Peccare est aliquid agere. Sed Deus peccare nequit. Ergo non est omnipotens.

Resp.—*Dist. maj.*—Peccare est aliquid agere *desiendo a perfecta actione*, *Conc.: perfectam actionem eliciendo, qualis potentiae divinæ correspondet*, Neg. Et, *concessa minore, neg. conseq. sub dist. data.* «Peccare, ut optime scribit D. Thomas, est desicere a perfecta actione: unde posse peccare est posse desicere in agendo, quod repugnat omnipotentiae: et propter hoc Deus peccare non potest, qui est omnipotens (2)».

Inst.—Deus non potest corrumpi, nec facere ut verum sit falsum, ut quod est factum non sit tale, et alia hujusmodi. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Deus non potest corrumpi, etc.; *et hæc non habent rationem entis veri, Conc.: sunt vera et ralia entia*, Neg. Et *sub data dist. neg. conseq.* Omnipotentia non se extendit nisi ad ea, quæ sunt vera entia factibilia et non involvunt intrinsecam contradictionem. «Ea vero,

(1) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 25, art. 3.

(2) Id. *ibid.* in resp. ad 2.<sup>um</sup>

quæ contradictionem implicant, sub divina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem. Unde convenientius dicitur quod ea non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere (1)».

#### PROPOSITIO QUARTA.

*Potentia in Deo secundum rationem a scientia et voluntate differt.*

208.—*Demonst.*—Potentia, ut optime docet D. Thomas, importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit. Ergo saltem secundum rationem ab eis differt. Non distinguitur autem realiter, quia hoc vetat absoluta Dei simplicitas.

#### Solvitur quædam difficultas.

209.—Scientia Dei et voluntas sunt causa rerum, quoniam Deus agit per intellectum et voluntatem. Sed causa et principium idem sunt. Ergo scientia et voluntas ne ratione quidem a potentia in Deo differunt.

Resp.—*Dist. maj.*—Scientia Dei et voluntas sunt causa rerum *directive et imperativa potentiae*, Conc.: *effectiva*, Subd. *quatenus cum potentia realiter identificantur, conc.: quatenus sub conceptibus suis formalibus scientiae et voluntatis nobis exhibentur*, neg. Responsio hæc est ipsius D. Thomæ loco in probatione theseos citato scribentis: «Vel dicendum, quod ipsa scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiae. Unde consideratio scientiae et voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiae, sicut causa præcedit operationem et effectum». Scilicet scientia, quatenus talis, nullam

---

(1) Id *ibid.* in §.

aliam causalitatem exercet respectu effectus nisi *directiveam*; et voluntas pariter, quatenus talis, non aliam nisi *imperativam*. Quatenus vero utraque cum divina essentia realiter identificatur, quæ immediate per se in rerum productionem influit, tam scientia Dei quam voluntas dicuntur physicam causalitatem in producendis rebus exercere. Hinc in articulo V ejusdem quæstionis XXV respondendo ad primam difficultatem iterum hanc ipsam doctrinam sapienter inculcat Angelicus Doctor, hæc scribens: «Potentia intelligitur, ut *exequens*; voluntas autem, ut *imperans*; et intellectus et sapientia, ut *dirigens*» (1).

§ II.—AN DEUS HABEAT POTENTIAM CREANDI ET QUÆNAM  
SIT CREATIONIS NATURA.

210.—*Creatio est productio totius entis, seu productio rei ex nihilo sui et subjecti* (O. 466). Creationem esse possibilem, ex dictis in Cosmologia sufficienter constat; cum ibi ostenderimus mundum per veram creationem productum fuisse (C. 225). Deum denique habere potentiam creandi ex ibidem demonstratis patet; cum mundus non nisi a prima omnium causa, quæ Deus est, existentiam suam accipere potuerit (C. 229). Sola ergo creationis natura hoc loco a nobis investiganda est: ad cuius declarationem duas quæstiones ventilare oportet, quid nempe sit *creatio* et an sit propria solius Dei.

211.—Circa primam tres sunt Philosophorum ac Theologorum opiniones. Aliqui enim existimant creationem esse imperium divinæ voluntatis, quo Deus ab æterno rei creandæ existentiam decrevit: alii vero eam reponunt in actione quadam temporaliter a Deo fluente, quæ prior natura sit re per eam effecta et ab ea modaliter distinguatur; alii denique dicunt esse relationem quamdam dependentiæ creaturæ ad suum creatorum (2). Circa secundam, affirmant communiter auctores, uno excepto Durando, virtutem creativam soli Deo competere posse; in diversas autem abeunt sententias, dum querunt utrum per divinam omnipotentiam possit elevari creatura ut instru-

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, n. 45 et seqq.

(2) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 20, sect. 4.

mentaliter concurrat in alicujus rei creationem; quibusdam affirmantibus, aliis e contra repugnantibus, ut in hujusmodi rebus fieri solet (1).

His breviter prænotatis, ut sententiam nostram declaremus sint propositiones sequentes.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Creatio proprie dicta est aliquid, non in Deo, sed in creatura existens.*

212.—*Demons.*—1.<sup>o</sup> Patentibus omnibus, creatio proprie dicta est *productio alicujus rei ex nihilo sui et subjecti*. Sed productio cujuscumque rei est aliquid in hac ipsa re existens. Ergo... 2.<sup>o</sup> Creatio proprie dicta est titulus, in quo fundatur denominatio *Creatoris* Deo a nobis tributa. Sed titulus hic est quid temporale in ipsis rebus existens; propter hanc enim causam denominatio *creatoris* non competit Deo ab æterno, sed in tempore, ut notat Angelicus Doctor (2). Ergo...

213.—*COROLLARIUM.*—*Ergo creatio proprie dicta non est actio formaliter in Deo immanens et tantum virtualiter transiens, sed formaliter transiens dicenda est.* Patet consequitio. Si enim creatio proprie dicta est aliquid in creatura existens, cuius ratione Deus Creator nominatur, vere ē divina virtute egreditur et proinde formaliter extra Deum transit. S. Thomas quæst. 3 de *Potentia*, art. 3, quæst. 45 *Summ. Theol.* art. 3, et alibi passim videtur contrarium docere, dicendo creationem active sumptam et generatim omnem Dei actionem esse ipsam Dei substantiam ad terminum ejus relatam. Sed minime nobis adversatur: in iis enim omnibus locis loquitur de actione Dei *originaliter et principiatively spectata* seu de actione prout egre-

(1) Cfr. Valentia, *Comment. in t. p. D. Thom.*—De Deo creatore, disp. 3, q. 2, punct. 4.

(2) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 14, art. 7, ad 1.<sup>um</sup>

*ditur e divina virtute et est in ea tamquam in termino a quo, non vero tamquam in subjecto:* quod non est loqui proprie de creatione ipsa, sed de principio activo, unde illa emanat. Patet hanc et non aliam esse S. Doctoris mentem: 1.<sup>o</sup> Quia in cap. 45 libri primi *contra gentiles*, in quo ex professo probat actionem Dei esse ipsam ejus essentiam, et ad quod aliis in locis lectorem remittit, assertionem suam in eo fundat, quod «omnis substantia est propter suam operationem tamquam propriam perfectionem». Hanc enim rationem non potuit adducere S. Doctor, ut probaret omnem Dei actionem proprie dictam esse formaliter immanentem; cum sic omnes etiam actiones creaturarum tales forent contra manifestam et expressam ejus doctrinam, in qua dicit agnosendas esse in creaturis actiones formaliter transeuntes. 2.<sup>o</sup> Quia in *I. Sentent. dist. 40*, quæst. 1, art. 1, respons. ad 1.<sup>um</sup> perfecte æquiparat actiones creaturarum formaliter trans-euntes actionibus Dei transeuntibus ad res creatas, hæc inter alia scribens: «Actionum quædam transeunt in exteriorem materiam, circa quam aliquem effectum operantur, ut patet in actionibus naturalibus, sicut ignis calefacit lignum, et in artificialibus, sicut ædificator facit domum ex materia; et in talibus actio est recepta in eo quod fit per modum passionis, secundum quod motus est in moto ut in subjecto: et ideo in talibus est invenire actionem in re agente et passionem in re paciente..... Secundum hoc ergo dico quod creatio est talis actio, quæ effectum exteriorem relinquit: unde oportet, passive sumptam creationem aliquid in re creata esse, sicut calefactionem in calefacto». Jam vero Angelicus Doctor cum Aristotele et omnibus Philosophis generatim actionem transeuntem creaturarum proprie dictam in passo tamquam in subjecto ponit; in agente vero, non tamquam in subjecto, sed solum originaliter et principiatively, seu tamquam in termino a quo. Ergo id ipsum censendus est de creatione cogitasse (O. 474, resp. ad 4.<sup>um</sup>). Hinc, quando in libro secundo *contra gentiles* cap. 35 ait, Deum non agere ad extra actione aliqua intermedia virtutis motivæ inter voluntatem et effectum, sicut in nobis accidit, sed oportere «quod suum intelligere et velle sit suum facere», non intendit significare creationem proprie dictam ab æterno in Deo esse et cum ipso Deo identificari, sed principium effectivum creationis esse actum liberum voluntati.

ties divinæ, a quo tunc fluit creatio proprie dicta, quando per hunc ipsum actum determinatur.

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Creatio non est entitas aliqua modaliter seu ex natura rei a suo termino distincta.*

Ita Valentia (1), Toletus (2) et Vazquez (3) cum D. Thoma (4). Contrariam sequitur Suarez (5) cum quamplurimis e nostris.

214.—*Prob.*—1.<sup>o</sup> Actio, quæ modaliter a termino distinguitur, est motus quidam alicujus rei physicæ existentis in potentia ad illum terminum: hac enim de causa actio et passio sola ratione inter se distinguuntur (O. 483-485). Atqui creatio non est motus: in omni enim motu vero et reali aliquid physicum transit ex uno statu in alterum tamquam verum subjectum formarum, quibus sucessive actuatur; in creatione autem nihil hujusmodi habetur, sed totum ens transit ex non esse ad esse. Ergo... 2.<sup>o</sup> Si creatio foret entitas aliqua modaliter a suo termino distincta, deberet existere in se ipsa ad modum substantiae, et non in termino ad modum accidentis; est enim natura prior termino et pro illo priori nequit existere in termino tamquam in subjecto. Atqui hoc omnino repugnat: entitas enim illa in hypothesi prædicta foret accidens quoddam modale; de essentia autem accidentis modalis est *inesse subjecto*; unde illud: *Accidentis esse est inesse ab omnibus communiter admissum*. Ergo .. 3.<sup>o</sup> Si actio creativa foret modus quidam operativus, potentia divina per illum in ratione virtutis perficeretur; quoniam

(1) Valentia, *Comment.* in 1. p. D. Thom.—De Deo creatore, disp. 3, q. 2, punct. 1.

(2) Toletus, *Comment.* in 1. p. D. Thom. quæst. 25, art. 1.

(3) Vazquez, *Comment.* in 1. p. D. Thom. tom. 2, disp. 173, cap. 2.

(4) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 45, art. 3; et quæst. 3 *de Potentia*, art. 3.

(5) Suarez, *Metaphys.* disp. 20, sect. 4, n. 11.

esset ultimum ejus complementum. Sed potentia divina, utpote perfectissima, per nullam virtutem a se ipsa distinctam perfici potest. Ergo...

### PROPOSITIO TERTIA.

*Creatio active sumpta est ipsa creatura ut a Deo procedens; passive vero accepta est relatio dependentiae, quam habet creatura ad Deum ut effectus ad causam.*

Ita Valentia et Vazquez cum D. Thoma locis supra citatis.

215.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—*Creatio active sumpta est illud, quod immediate egreditur e virtute Dei creativa, ut creativa est. Sed hoc non est aliud quam ipsa creatura ut immediate a Deo procedens; quoniam ex probatis in præcedente thesi constat actionem creativam e divina virtute egredientem non esse entitatem modaliter distinctam ab ejus termino, sed ipsum terminum prout immediate e divina virtute procedentem. Ergo...*

\* 216.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—“*Deus creando producit res sine motu. Subtracto autem motu ab actione et passione, nihil remanet nisi relatio. Unde relinquitur quod creatio in creatura, (seu prout in creatura recepta), non sit nisi relatio quædam ad creatorem, ut ad principium sui esse; sicut in passione, quæ est cum motu, importatur relatio ad principium motus (1).*”

### Solvuntur difficultates.

217.—*Contra. prop. 1.<sup>am</sup>*—*Obj. I. In Deo nulla potest dari actio formaliter transiens. Nam: a) Si talis actio daretur, virtus divina per illam completeretur, quod repugnat: b) In tali hypothesi divina virtus, producendo creaturas in tempore, transiret ex otio ad actum, quod etiam repugnat. c) Quamvis potentia, ut talis, formaliter distinguatur ab intellectu et voluntate Dei; tamen Deus realiter non agit ad extra nisi intellectu et voluntate, ac proinde ejus actiones ad extra sunt actus intellectus et voluntatis. Sed creatio est vera Dei actio. Ergo creatio est aliquid*

---

(1) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 45, art. 3, in 9.

formaliter in Deo manens et tantum virtualiter ad rem creatam transiens.

Resp.—*Neg. maj.*—Secus enim Deus ratione actionis creativæ ab æterno in illo existentis deberet dici ab æterno creator, sicut dicitur ab æterno volens mundi existentiam; quod tamen ab omnibus rejicitur.

Ad rat. 1.<sup>am</sup> *Neg. assert.* Potentia activa per actionem formaliter transeuntem vere completur, quando actio hæc ex natura rei distinguitur a suo termino; quia tunc actio illa est quasi instrumentum potentiae ad dandum effectui existentiam, ac proinde sub hac ratione ultimo compleat virtutem potentiae quamvis extra illam existens. At vero potentia divina non efficit creaturem actione ulla ex natura rei ab illis distincta sed cum illis realiter identificata, ac proinde ejus virtus tali actione minime perficitur.

Ad rat. 2.<sup>am</sup> *Neg. assert.* Quamvis influxus Dei in creaturem minime æternus sit, sed in tempore incepit; tamen determinatio ad illum in tali tempore præstandum in Deo ab æterno existit. Hinc, quando incipit in tempore hic influxus effectivus, divina virtus non transit ex otio ad operationem; sed simpliciter assequitur illud, ad cuius effectuationem erat ab æterno determinata. Principium enim operativum effectuum in Deo non est realiter aliud nisi divina voluntas per divinam sapientiam regulata. «Sicut autem per intellectum determinatur rei factio et quæcumque alia conditio, ita et præscribitur ei tempus: non enim solum ars determinat ut hoc tale sit, sed ut tunc sit; sicut medicus, ut tunc detur potus: unde si ejus velle per se esset efficax ad effectum producendum, sequeretur de novo ab antiqua voluntate, nulla actione de novo existente (1)».

Ad rat. 3.<sup>am</sup> *Conc. ant. et dist. conseq.* Actiones Dei ad extra sunt actus intellectus et voluntatis *tamquam applicantes voluntatem Dei ad opera, ultimoque illam ad influxum in tempore præstandum determinantes*, *Conc.: tamquam virtutem voluntatis ultimo compleentes, illudque ipsum erga illam facientes, quod in rebus creatis facit actio e potentia activa egrediens*, *Neg.* Actus intellectus et voluntatis in Deo applicant divinam voluntatem ad opera externa, illamque ad illorum effectuationem

---

(1) S. Thom. *Cont. gent.*, lib. 2, cap. 35.

determinant; non autem complent ejus virtutem, quia hæc infinita in se est. Ergo actus prædicti sunt quid distinctum a creatione propriæ dicta. Quodam tamen sensu *lato* bene dici possunt esse ultimum complementum voluntatis divinæ; ac proinde exercere relate ad illam illud ipsum munus, quod exercet actio formaliter transiens causarum secundarum in ordine ad earum virtutes activas. Hinc eodem *lato sensu* concedi potest actiones Dei ad extra esse formaliter immanentes et virtualiter transeuntes. Et in hoc *lato sensu* loquutus fuisse S. Thomas censendus est, quando hæc verba scripsit: «*Actio agentis, qua facit sibi simile, est aliquid egrediens ab agente in patiens; quod in Deo locum non habet, quia ejus actio est ejus substantia* (1)».

218.—*Contra prop. 2.<sup>am</sup>*—Obj. II. Nulla causa effectui suo existentiam tribuere potest absque influxu activo ex ejus virtute in eum egrediente: qui influxus est via quædam causæ ad effectum et *actionis* nomine designatur. Sed influxus hic modaliter tam ab effectu quam a causa distingui debet. Ergo actio, qua Deus res per creationem ad existentiam vocat, est modus quidam ex natura rei ab ipsis rebus creatis distinctus.

Resp.—*Dist. maj.*—Nulla causa effectui suo existentiam tribuere potest absque influxu activo ex ejus virtute egrediente et *logice saltem distincto ab ipso effectu*, Conc.: *plus quam logice ab eo distincto*, Subd.: *si sermo est de solis causis creatis*, iterum conc.: *secus, neg.* Et *contrad. min. neg. conseq.* Influ-  
xus hic etiam e causa prima egreditur, sed solum logice distin-  
guitur ab ipso effectu; cum hic immediate oriatur e virtute di-  
vina, que utpote infinita, non indiget virtute ulla complemen-  
taria ad existentiam suis effectibus tribuendam, ut in causis  
creatis accidit.

Inst.—Si influxus prædictus logice tantum distinguitur ab effectu, non poterit activus vocari; siquidem nihil realiter per illum producitur. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.*—Non poterit activus vocari, *quatenus logice recipitur in effectu*, Conc.: *quatenus vere egreditur e vir-  
tute divina*, Neg. Effectus creatus immediate egrediens e virtute

---

(1) S. Thomas, *Comment. in lib: de divinis nominibus*, lect 2.<sup>a</sup>

divina extrinsece denominat eam agentem, non minus quam actio suam causam creatam. Ergo sub hoc aspectu optime vocari potest *influxus activus*, licet per illum nihil realiter ab eo distinctum a Deo producatur.

219.—Obj. III. Si actio creativa realiter identificaretur cum effectu; non posset variari modus creationis, effectu eodem permanente. Atqui hoc est falsum. Nam: a) Potest Deus substantiam aliquam creare tum per se solum, tum per aliquam creaturam ut instrumentum quoddam supernaturaliter ad hunc effectum producendum elevatum. b) Potest Deus quantitatem corpoream in se ipsa sine subjecto actione creativa conservare; quae realiter distincta est ab illa, qua in substantia materiali conservatur. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Si actio creativa etc.; non posset variari modus creationis, effectu eodem *quoad omnia* permanente, *Conc.*: effectu eodem *quoad aliqua* tantum permanente, *Neg.* *Et contrad. min. neg. conseq.* Quoties varietur modus creationis, variabitur etiam modus effectus creati; ac proinde nunquam dabitur diversitas actionis creativæ sine diversitate effectus creati.

Ad 1.<sup>am</sup> prob. minoris *respondeo negando secundam partem propositionis*. Creatura enim ne instrumentaliter quidem potest concurrere ad rei alicujus creationem, ut protinus probabitur.

Ad 2.<sup>am</sup> prob. minoris *respondeo concedendo propositionem totam, sed addendo tunc variationem aliquam dari ex parte ipsius effectus*. Nam quando quantitas materialis actione creativa in se ipsa sine subjecto conservatur, effectus hujus actionis est quantitas *ut per se stans*: quando vero actione eductiva in substantia materiali tamquam in subjecto permanet, tunc effectus illius actionis est quantitas *ut substantiae materiali per unionem physicam realiter unita*.

220.—*Contra prop. 3.<sup>am</sup> Obj.*—IV. Relatio dependentiæ, quam habet creatura ad creatorem ut effectus ad causam, est creatura posterior. Atqui creatio, etiam passive accepta, est creatura anterior; siquidem concipitur a nobis ut via quædam ad ipsam. Ergo nequit reponi in dependentia prædicta.

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—*Creatio, ut concepta per modum cuiusdam mutationis, est anterior ipsa re creata; Conc.:*

*ut vere existens in creatura*, Neg. Creatio concipitur a nobis ut quædam mutatio media inter creatorem et creaturam; quia actiones causæ primæ apprehendimus ad modum actionum causarum secundarum, quæ sunt veræ mutationes alicujus rei jam existentis. Sed creatio in se non est mutatio, cum per illam totum ens transeat ex non esse ad esse. Jam vero, «cum actio et passio convenient in substantia motus, et differant solum secundum habitudines diversas; opqtet quod, subtracto motu, non remaneant nisi diversæ habitudines in creante et creato (1)». Creatio ergo in re creata nequit realiter esse nisi habitudo quædam creaturæ ad suum creatorem.

Inst.—1.<sup>o</sup> Creatio, quomodocumque sumatur, semper involvit quamdam prioritatem respectu creaturæ. Ergo nequit esse pura relatio creaturæ ad creatorem.

Resp.—*Dist. ant.*—Creatio involvit semper quandam prioritatem respectu creaturæ *ex parte objecti*, *ad quod per illam creatura refertur*, *Conc.: ex parte subjecti in quo est, quodque per ipsam refertur*. Neg. Creatio passive accepta implicant principium illud productivum, a quo originaliter procedit, quodque ipsa creatura prius est. Sed ipsa in se posterior natura est effectu creato: hic enim eatenus habet relationem dependentie ad Deum, quatenus ex divina ejus virtute immedieate procedit.

Inst.—2.<sup>o</sup> Relatio, quæ posterior est creatura, est mere prædicentalis. Sed creatura dicit relationem transcendentalem ad suum creatorem. Ergo creatio passive accepta nequit dici creatura posterior.

Resp.—Secundum aliquos relatio hæc est transcendentalis, secundum alios vero prædicentalis. Utrumque defendi potest: in primo casu relatio *logice* tantum posterior erit creatura, quia realiter ab illa non differet. Et hoc est quod rationabilius dicendum videtur.

---

(1) S.T homas, *Summ Theol.* 1. p. q. 45, art. 2, ad 2.<sup>um</sup>

### PROPOSITIO QUARTA.

*Creandi facultas solius Dei propria est, nec ulli creatura communicari potest.*

221.—*Prænot.*—Hæc thesis ab auctoribus communiter admittitur, difficile autem est aliquam probationem omnino evidenter pro ea adducere. Ita enim scribit Suarez: «Et mihi quidem posterior sententia vera et certa esse videtur: difficilimum tamen censeo cogentem demonstrationem ad illam confirmandam afferre. Cujus signum est; quia auctores, qui in conclusione consentiunt, in ratione reddenda summe dissentunt, et singuli aliorum rationes impugnant (1).

222.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Producere ens in quantum ens soli Deo competere potest. Sed creare est producere ens in quantum ens. Ergo creandi facultas solius Dei propria est. Major clara est: nam omne ens creatum, utpote ad determinatam quamdam speciem pertinens, effectus suos sub determinata quadam forma attingit, illos producendo, non in quantum entia simpliciter, sed in quantum *hæc* aut *alia* entia. *Probatur ergo minor.* Creare est producere ex nihilo præsupposito. Sed producere nihil prorsus entis præsupponendo est producere ens in quantum ens simpliciter; quia qui ita operatur, effectum suum sub omnibus ejus formalitatibus attingit, inter quas invenitur ratio entis participabilis. Ergo... 2.<sup>o</sup> Prima actio primi agentis propria esse debet: ordo enim actionum secundum ordinem agentium est, eo quod nobiliori agenti nobilior actio correspondet. Sed creatio est prima actio; eo quod nullam aliam præsupponit et omnes aliæ eam præsupponunt. Ergo... 3.<sup>o</sup> Nulla

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 20, sect. 2, n. 12. Idem notat P. Valentia loc. cit. punct. 4.

causa secunda operari potest nisi per actionem, quæ sit motus seu actuatio alicujus rei physicæ: omnis enim causa secunda est movens quoddam motum, ac proinde numquam adhibetur ad causandum aliquid nisi per viam motus. Sed creatio non est motus, cum sit productio totius entis. Ergo nulla creatura habet virtutem ad eliciendam actionem creativam (1). 4.<sup>o</sup> Eo major virtus requiritur in agente, quo effectus per ejus actionem e remotiori potentia producendus est. Sed nulla potentia remotior quam potentia nulla. Ergo ad producendum effectum ex potentia nulla seu ex nihilo sui et subjecti maxima inter omnes possibiles potentia necessaria est. Potentia autem hujusmodi simpliciter infinita ac proinde solius Dei propria est (2). Ergo...

223.—*Prob. 2<sup>a</sup> p.*—Virtus creandi, quæ creaturæ alicui communicata supponatur, debet esse ei accidentalis et extrinsecus immissa. Si enim substantialis foret ac sibi connaturalis, non jam instrumentalis sed principalis causa creationis esset; nullam autem creaturam aliquid creare per modum causæ principalis posse jam in prima hujus theses parte ostensum est. Atqui nulla virtus accidentalis creaturæ impressa potest esse naturale instrumentum creationis. Nam modus agendi uniuscujusque entis est secundum modum essendi: unde, cum omne accidens sit a subjecto dependens in agendo, naturaliter debet etiam dependere a subjecto in operando; ita ut agere nihil valeat nisi ex subjecto præsupposito, quod non est creare (3). Ergo... 2.<sup>o</sup> Creatura, illa virtute instru-

---

(1) S. Thomas, *contra gent.* lib. 2, cap. 1.

(2) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 45, art. 5, ad 3.<sup>um</sup>  
Cfr. Suarez loco *supra citato*.

(3) Suarez, *Metaphys.* disp. 20, sect. 3, n. 2.

mentaria informata, deberet per aliquid sibi proprium dispositivo operari ad effectum creandum: quoniam hæc est ratio instrumenti, ut non concurrat ad actionem principalis agentis nisi per aliquid sibi proprium dispositivo operando ad illius effectum; ut *se ira* ex. gr. non influit instrumentaliter in formam scamni ab artifice intentam nisi per virtutem suam naturalem disponendo lignum ad hanc formam recipiendam. Sed ad creationem nulla dispositio prævia possibilis est, cum creatio non sit ex aliquo præsupposito (3). Ergo...

### Solvuntur difficultates.

224.—Obj. I. Si existeret aliqua creatura, quæ aliquam solum entium classem creare posset, actione sua creativa non efficeret ens in quantum ens simpli citer sed in quantum ens talis speciei. Sed nulla apparet repugnantia in fingendo talem creaturam. Ergo creatio ut sic non implicat productionem entis, in quantum ens; ac proinde non ostenditur esse solius Dei propria.

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Causa, quæ habet vim vel unam substantiam creandi, potest quascumque possibiles creare. Actio enim creativa, cum totius entis productio sit, attingit effectum sub prima et fundamentali sua ratione entis; quæ quidem communis est omnibus entibus creabilibus.

Inst.—I.<sup>o</sup> Equus generando equum attingit eum non solum sub ratione equi, sed etiam sub ratione animalis; facit enim eum ex non animale animal. Atqui tamen non habet virtutem generandi omnia animalia. Ergo, quamvis aliqua causa creando aliquam speciem entis attingat suum effectum sub

---

(1) S. Thomas, *loc. cit.* in θ.

primaria sua ratione entis, non ideo poterit omnes entium species creare.

Resp.—*Dist. ant.*—Equus generando equum attingit materialiter eum sub ratione animalis, *Conc.: formaliter*, Neg. Et *sub data distinct. neg. conseq.* Equus generando equum pure materialiter attingit rationem animalis imo et equi etiam; quia formaliter non attingit nisi *individuum* quoddam speciei equinæ jam existentis, faciendo ut ex ipso ad eum propagetur. E contra causa, quæ ens cuiuslibet speciei creat, illud formaliter sub ratione entis attingit. Ergo nulla prorsus paritas est in argumento.

Inst.—2.<sup>o</sup> Si creatio effectum suum attingit sub ratione formalis entis, Deus poterit se ipsum creare; quia sub hac ratione generalissima ipse etiam Deus continetur. Sed hoc est manifeste falsum. Ergo creatio non attingit effectum suum sub formalis ratione prædicta.

Resp.—*Neg. maj. cum ejus probatione.*—Deus proprie loquendo non continetur *sub* ratione generalissima entis, sed *supra* ipsam est; cum vere sit quid *superessentialis* et *super-substantialis*. Sub ratione prædicta proprie non continetur nisi *ens potentiale* et *actuabile*. Unde ex eo quod creatio attingat formaliter effectum sub ratione entis simpliciter, non sequitur illius causam posse creare Deum, sed tantum *ens quodlibet potentiale*.

Inst.—3.<sup>o</sup> Saltem argumentum ex virtute necessaria ad producendum effectum ex potentia nulla de sumptum parum roboris habere videtur. Nam argumentatio illa solum concludit, ad producendum effectum ex potentia nulla requiri virtutem *ordinis altioris*, quam sit potentia producere valens per actionem tantummodo eductivam. Quinam autem sit hic ordo, an divinus, an solummodo supernaturalis, per eam non declaratur. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Quæcumque causa creata, licet ad altissimum ordinem rerum supernaturalium pertineat, semper est ens aliquo modo compositum ex actu et

potentia. Ergo semper manet naturaliter improportionata ad producendum ens ex nulla potentia; quia modus operandi naturaliter sequitur modum essendi (1).

225.—Obj. II. Licet nulla creatura per suas vires naturales videre Deum intuitive possit; tamen lumine gloriæ supernaturali corroborata ad visionem Dei intuitivam in se ipsa producendam elevatur. Ergo pari ratione elevari poterit ad creandum per aliquam supernaturalem qualitatem in se receptam.

Resp.—*Neg. parit. et conseq.*—Per lumen gloriæ intellectus creatus elevatur *intra* suam propriam sphærā cognoscitivam, cum Deus etiam ad objectum ejus adæquatum pertineat. E contra qualitas virtutem creatricem creature conferens a sua propria sphæra potentiam illius operativam abstraheret: intra eam enim sola entia ex aliquo præsupposito producenda continentur. Jam vero res quælibet elevari quidem potest per divinam omnipotentiam ad aliquid sibi naturaliter impossibile, quando hoc intra ejus sphærām aliquo modo continetur; secus vero quando omnino extra illius sphærām vagatur. Ergo nulla est paritas in argumento facto.

Inst.—1.<sup>o</sup> De ratione instrumenti non est ut dispositive operetur per suam propriam virtutem ad effectum causæ principalis: secus enim in sua operatione dispositiva ageret et ipsum ut causa principalis. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *Dist. assert.* In sua operatione dispositiva, *quatenus tali*, operaretur ut causa principalis, Conc.: *quatenus effectum causæ principalis attingente*, Neg. Et sub data dist: neg. conseq. Serra, *quatenus* virtute sua naturali lignum secat, ut causa principalis operatur: *quatenus* vero hac ipsa actione secandi formam ligno introducit ab artifice intentam; pure instrumentaliter causat.

---

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 20, sect. 2, n. 44.

## PROPOSITIO QUINTA.

*Creaturæ ne per potentiam quidem obedientialem concurrere ad creationem possunt.*

Ita Valentia cum D. Thoma, Alberto Magno, Scoto, Richardo et aliis communiter (1) contra aliquos, inter quos invenitur P. Suarez (2). Est autem potentia obedientialis activa *ipsa potentia physica creaturæ, quatenus apta ad operandum per modum instrumenti sub imperio et motione Dei effectus intrinsece supernaturales seu totius naturæ ordinem superantes* (3).

226.—Prob.—«Omne instrumentum, ut optime scribit S. Thomas, in id, circa quod instrumentaliter operatur, habet propriam actionem sibi connaturalem, et non solum illam actionem, secundum quam agit in virtute principalis agentis: immo exercendo primam actionem, oportet quod efficiat hanc secundam; sicut aqua lavando corpus in baptismo sanctificat animam, et serra secundo lignum producit formam domus (4)». Atqui nulla creatura habet actionem ullam propriam sibi connaturalem erga ens simpliciter sed tantum erga *hoc vel tale* ens. Ergo... Aliis verbis: nulla creatura agendo instrumentaliter extrahi potest extra sphærā totalem suā activitatis naturalis; quoniam ex se ad effectum causæ principalis non aliter concurrens potest quam dispositio ad illum operando. Atqui operari ex nullo præsupposito est extra sphærā totalem potentia naturalis creaturæ. Ergo...

## Solvuntur difficultates.

227.—Obj. I. Creatura concurrit instrumentaliter ad consecrationem hostiæ. Ergo pariter concurrere poterit ad creationem; non enim hoc difficilius videtur quam illud.

(1) Cfr. Valentia *loc. cit.*

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 20, sect. 3, n. 7.

(3) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 43, sect. 4, n. 6.

(4) S. Thomas, *Summ. Theol.* Suppl. 3.<sup>mo</sup> part. q. 70, art. 3, in θ. Cfr. idem D. Thomas 1. p. q. 45, art. 5, et *cont. gent.* lib. 2, cap. 21.

Resp.—*Neg. conseq. et parit.*—Per consecrationem non fit creatio ex nihilo sed sola conversio substantialis ex pane in corpus Christi, et ex vino in ejus sanguinem. Unde actio consecrativa vere exercetur in panem, erga quem possunt verba ministri naturali sua virtute aliquid dispositive operari. In creatione autem nihil hujusmodi fieri a creatura potest: ac proinde nulla est paritas. Eodem modo responderi debet ad simile argumentum, quo dicuntur in consecratione panis verba sacerdotis concurrere ad anihilationem panis. Nam nec panis tunc proprie anihilatur, sed convertitur in corpus Christi; nec ad conversionem illam concurrunt praedicta verba nisi mediante sua naturali actione in panem.

228.—*Obj. II.* Homo concurrit instrumentaliter ad gratiae sanctificantis productionem per Baptismi et aliorum Sacramentorum administrationem. Ergo pari modo poterit concurrere ad creationem.

Resp.—*Conc. ant. et neg. conseq. et parit.*—Nec gratia creatur, cum proprie educatur e potentia obedientiali animæ humanæ; nec verba ministri in Sacramentorum administratione aliter concurrunt ad illius productionem quam operando dispositive per suam virtutem naturalem in homine, cui Sacramentum administratur. Unde hic etiam deficit complete paritas, in qua argumentum oppositum fundatur.

229.—*Obj. III.* Deus ratione suæ omnipotentiae absolutæ potest facere quodlibet per quamcumque rem; seu quod idem est, *quidlibet potest elevari ad quodlibet*: nulla enim in hoc invenitur repugnantia. Ergo quælibet creatura potest per potentiam obedientiam ad creandum concurrere.

Resp.—*Neg. ant. cum ejus probatione.*—Deus quidem ratione suæ omnipotentiae facere potest quidquid intrinsecam non involvit repugnantiam: sed intrinseca repugnantia existit in eo quod potentia aliqua operetur extra sphærā totalem suæ activitatis. Idecirco ad diversas actiones supernaturales diversa requiruntur instrumenta, nec lapis elevari potest ad intelligendum nec querens ad Deum intuitive videndum, etc., etc.

§ III.—AN ET QUOMODO CONSERVET DEUS RES CREATAS IN EXISTENTIA SEMEL ACCEPTA.

230.—Conservatio tum *passive* tum etiam *active* sumi potest. Primo modo considerata indicat *perseverantiam rei in existentia semel accepta*: secundo autem *actionem illam designat, qua rei alicui perseverantia in existendo tribuitur*. Conservatio hujus secundi generis alia est *per accidens*, alia vero *per se*. Conservatio *per accidens* consistit in ea *actione, qua unum ens alterum a suis contrariis accidentaliter protegit, sive eis resistendo, sive ea removendo*, ut cum quis manibus protegit lucem candelæ, ne a vento extinguitur. Conservatio vero per se dicitur *illa actio, quæ ex natura sua est ordinata ad conservandum aliquod ens in existentia semel accepta*. Hæc rursus in *indirectam et mediatam atque directam et inmediatam subdividitur: quarum prima consistit in influxu aliquarum dispositionum vel qualitatum, quæ necessariæ sunt ut res in sua existentia conservetur; secunda vero in perseverante influxu ipsiusmet existentiae, quæ per productionem communicata fuit* (1).

231.—Deum conservatione activa per accidens res omnes conservare, quæ per agentia contraria destrui possunt, facile ab omnibus admittitur; cum ad ipsum, utpote mundi creatorem et administratorem, spectet singulas mundi vires ita disponere, ut in perfecto ordine conserventur. Inter omnes pariter convenit, Deum singulis rebus creatis conservationem per se et indirectam indesinenter tribuere: ni enim actione sua in illis conservaret dispositiones et qualitates eas omnes, quæ ad illarum perseverantiam in existendo necessariæ sunt, dispositiones eæ et qualitates illico perirent, et consequenter ipsæ res eis ad perseverandum indigentes in nihilum abirent. Quæstio ergo

---

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys. disp. 21, sect. 3, n. 2.*

tota reducitur ad conservationem immediatam et directam: circa quam communis et vera sententia est Deum rebus singularis hoc conservationis genus tribuere. Tamen, ut optime observat Suarezius, «qui negant Deum immediate operari in qualibet actione creaturæ, cogentur sine dubio negare rem omnem creatam, seu omne ens per participationem, pendere immediate ab actuali influxu Dei; quia quod non pendet in fieri, neque in esse pendebit (1).» Sed eorum sententia falsa omnino est, et in sequenti paragrapho a nobis rejicietur. Nunc, ut conservationem directam et immediatam ostendamus, sit sequens

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Deus directe atque immediate res omnes in sua existentia conservat.*

232.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Effectus omnis a Deo essentia-liter dependet non solum in fieri sed etiam in ipso esse. Deus enim, utpote causa universalissima, effectus quosvis attingit sub ratione etiam universalissima, seu quatenus entia simpliciter sunt. Unde immediate influit in illud omne, quod in eis habet rationem entis; ac proinde, non solum in actionem qua fiunt, sed etiam in ipsos effectus. Atqui dependentia hæc essentialis quoad esse eadem est quamdiu durat hoc esse, ac proinde actionem Dei directam atque immediatam in illud toto tempore suæ durationis postulat. Ergo... Optime ad rem D. Thomas: «Sic se habet omnis creatura ad Deum, sicut aer ad solem illuminantem. Sicut enim sol est lucens per suam naturam; aer autem fit luminosus participando lumen a sole, non autem participando naturam solis: ita solus Deus est ens per essentiam, quia ejus essentia est suum esse; omnis autem creatura est ens per participationem, non quod sua essentia sit ejus esse (2).» Hinc, sicut aer

(1) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 104, art. 1 in  $\theta$ .

(2) Suarez, *loc. cit. sect. 1, n. 3.*

indiget continua illuminatione solis ut luminosus fiat; ita creatura sine directa atque immediata Dei actione conservativa continuo in tenebras suæ nihilitatis abiret.

2.<sup>o</sup> Nulla creatura potest se ipsam directe conservare. Ergo ut in accepta existentia perduret, indiget conservatione aliena: quia ejus esse non minus est essentialiter ab alio dependens in secundo instanti quam in primo, cum sit ens per participationem. Jam vero vel hæc conservatio aliena dicitur ei advenire a Deo, vel ab aliqua creatura. Si *primum*: conservatio Dei directa ad perseverandum in esse ei necessaria est. Si *secundum*: eadem prorsus necessitas sequitur: quia, ut paragrapho sequente ostendemus, nihil omnino efficere valet ulla creatura, quin Deus actione sua directa et immediata illud etiam faciat. Ergo... Major hujus ratiocinii, in qua est difficultas, hac ratione ostenditur: Creatura nequit sibi perseverantiam in existendo directe tribuere: *a*) vi suæ ipsius essentiæ, quoniam perseverantia in existendo non est ei essentialis: *b*) nec vi alicuius actionis, quoniam ad omnem creaturæ actionem essentialiter prærequiritur ejus existentia; ac proinde hæc in quolibet temporis instanti considerata anterior omni actione est atque ab illa intrinsece independens. Ergo...

3.<sup>o</sup> Si creaturæ conservationem suæ existentiæ directe atque immediate a Deo non acciperent; minus dependerent a Deo in se ipsis conservandis, quam aer dependet a sole in conservando suo statu luminoso. Sed hoc minime admitti potest: nam dependentia creaturæ a Deo est quavis alia superior. Ergo...

4.<sup>o</sup> Denique, rejecta conservatione immediata, explicari nequit quomodo possit Deus in nihilum redigere creature naturaliter incorruptibiles. Non enim eas anihilare posset: *a*) per actionem aliquam positivam ad illarum destructionem ordinatam; cum omnis actio positiva necessario terminare debeat in rem aliquam positivam, quæ in simplici anihilatione dari nequit: *b*) nec per suspensionem actionis positivæ, qua in existentia accepta conservabatur; cum hæc

supponatur non existere. Sed Deus certo certius potest in nihilum redigere quamcumque creaturam naturaliter incorruptibilem non minus quam naturaliter corruptibles; hoc enim evidenter sequitur ex absoluto dominio, quod habet in universas res creatas. Ergo...

### Solvuntur difficultates.

233.—Obj. I. Creaturæ incorruptibles se ipsis in sua existentia conservantur; hæc enim necessariò sequitur intrinsecam earum naturam. Ergo non indigent conservatione Dei directa.

Resp.—*Dist. ant.*—Se ipsis in sua existentia conservantur *exigitive et aptitudinaliter*, *quatenus natura sua incorruptibili postulant continuationem actionis qua directe et immediate a Deo conservantur*, *Conc.: formaliter*, *quatenus sine ulla actione alicujus extrinseci agentis in existentia semel accepta perseverant*, Neg. Et *sub data dist. neg. conseq.* «Esse per se consequitur formam creaturæ, supposito tamen influxu Dei: sicut lumen sequitur diaphanum aeris, supposito influxu solis. Unde potentia ad non esse in spiritualibus creaturis... magis est in Deo, qui potest subtrahere suum influxum quam in forma... talium creaturarum (1).»

234.—Obj. II. Deus potentior est quovis creato agente. Sed agentia creata producere possunt effectus, qui continua eorum actione ad se conservandos non egeant, ut cum architectus ex. gr. aëdificat domum. Ergo...

Resp.—*Concessis maiore et minore, nego consequentiam et paritatem.* Deus satis ostendit se potentiores creatura efficiendo res ex nihilo. «Non potest autem communicare alicui creaturæ, ut conservetur in esse, sua actione cessante;

---

(1) S. Thomas, *Summ. Theol.* I. p. q. 104, art. 1, ad 1.<sup>nm</sup>

sicut non potest ei communicare, quod non sit causa illius. In tantum enim indiget creatura conservari a Deo, in quantum esse effectus dependet a causa essendi. Unde non est simile de agente, quod non est causa essendi, sed fiendi tantum (1).»

235.—Obj. III. Nulla creatura potest tendere ad non esse, nisi aliquo agente ad corruptionem. Sed nihil agere potest ad corruptionem rerum spirituallium. Ergo eae non possunt tendere ad non esse, etiam Dei operatione cessante; ac proinde sine illa conservari possunt.

Resp.—*Dist. maj.*—Nulla creatura potest tendere ad non esse *per viam simplicis destructionis*, nisi aliquo agente ad corruptionem, Conc.: *per viam anihilationis*, Neg. Deinde, *concessa minore, dist. consequens*: Ergo creaturæ spirituales, etiam cessante Dei operatione, nequeunt tendere ad non esse *per viam simplicis destructionis*, Conc.: *per viam anihilationis*, Neg. Creaturæ spirituales naturaliter quidem appetunt esse et continuationem actionis, qua in suo esse conservantur. Sed cessante hac actione, sponte sua per viam anihilationis in suum nihilum redibunt: quia ex se nihil sunt atque idcirco nihil habere possunt.

236.—Obj. IV. Non videtur quid fieri possit per actionem Dei conservativam ac ipsum esse creaturæ immediate terminatam. Quia hoc esse jam est; quod autem est, non potest denuo fieri. Ergo actio hujusmodi a quovis cordato rejici debet.

Resp.—*Neg. ant.*—Per hanc enim actionem fit ipsum esse creaturæ ab initio productum. Nam «conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat esse (2).» Sed ad clarius hoc explicandum sit sequens.

---

(1) Id *ibid.* resp. ad 2.<sup>um</sup>

(2) Id *ibid.* resp. ad 4.<sup>um</sup>

PROPOSITIO SECUNDA.

*Actio, qua Deus rebus primo existentiam tribuit,  
sola ratione differt ab ea, qua hanc ipsam existentiam  
deinde conservat.*

Est communis Philosophorum ac Theologorum contra aliquos paucos, qui has duas actiones realiter inter se distingui opinati sunt.

237.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Conservatio in suo conceptu formalí dicit perseverantiam rei in existentiam semel accepta, quæ in conceptu simplicis productionis non includitur. Ergo eæ duæ actiones saltem ratione inter se distinguuntur.

238.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—Ambæ actiones prædictæ ab eodem principio procedunt et in eumdem prorsus terminum tendunt; cum terminus conservationis sit idem numero esse, quod per alteram actionem productum est. Sed actiones hujusmodi realiter inter se non differunt, cum principio realis distinctionis careant. Ergo... 2.<sup>o</sup> Non major est ratio realiter distinguendi creationem a conservatione quam conservationem pro instante A a conservatione pro instante B. Quia, sicut in simplici conceptu creationis non includitur notio perseverantiae in existentia accepta; ita nec in conceptu conservationis pro instante A perseverantia pro instante B. Atqui tamen una sola actio ponitur pro toto tempore, quo res durat, ad eam in suo esse conservandam. Ergo pari ratione dicendum est una sola actione rem a Deo produci et in sua existentia conservari.

### Solvuntur difficultates.

239.—Obj. I. Actio, qua rei confertur existentia, est subita et indivisibilis. Sed conservatio contrarias proprietates habet. Ergo realiter ab illa differt.

Resp.—*Dist. maj.*—Est subita et indivisibilis, *quatenus simpliciter incipit esse*, *Conc.*: *quatenus tractu quodam durationis continuatur*, Neg. Et *contradistincta minore, nego consequentiam*. Creatio, quatenus per tractum quemdam durationis perseverat, conservationis rationem induit.

240.—Obj. II. Si creatio tractum quemdam durationis haberet, ejus terminus toto illo spatio esset in continuo fieri. Atqui hoc repugnat: sic enim res permanens esset in continuo fluxu, quod contradictionem involvit. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Eius terminus esset in continuo fieri *ex esse in uno instante durationis ad aliud*, *Conc.*: *ex non esse ad esse*, Neg. Et *contrad. min. neg. conseq.* Ex nostra sententia non sequitur res permanentes esse in continuo fluxu: sed sicut actio, qua continue retinentur in esse, eadem semper permanet *sine motu et tempore*, ut optimè docet D. Thomas (1); ita etiam esse ipsum, quod per illam producitur, idem sine ulla variatione ac proinde sine ullo reali fluxu perseverat.

### § IV. AN ET QUOMODO DEUS AD ACTIONES CREATURARUM CONCURRAT.

241.—Deum aliquo vero sensu ad actiones creaturarum concurrere res apertissima est et ab omnibus prorsus Philosophis tenetur, hoc enim manifeste infertur ex absoluto dominio, quod erga singulas res creatas ei essentialiter competit: sola ergo natura hujus concursus investiganda est.

---

(1) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 104, art. 1, ad 4.<sup>um</sup>

Atque imprimis Durandus solum concursum *mediatum et indirectum* admisit, dicens Deum non aliter concurrere cum creaturis ad operandum quam eas producendo, viribus ad agendum aptis instruendo, ipsas in existentia accepta cum suis viribus conservando ac per proprios uniuscujusque motores ad suas actiones excitando.

E contra Banneziani, duce eorum magistro dominicano Bañez, qui *prædeterminationes physicas* sæculo XVI excogitavit, non solum concursum *simultaneum et directum*, quo Deus immediate per suam virtutem omnes creaturarum actiones et effectus operatur, profitentur, sed præter hunc et indirectum ab omnibus admissos alium *prævium prædeterminationis physicæ* nomine insignitum agnoscendum esse contendunt.

Porro prædeterminationis physica juxta ipsos est *qualitas quædam, seu motio et impulsio transiens, a solo Deo producta et in creatura recepta, supponens potentiam plena operandi virtute instructam dansque illi determinationem ad operandum*. Proprietates essentiales hujus prædeterminationis juxta eosdem auctores sunt sequentes: 1.<sup>a</sup> Ut sit essentialiter prærequisita ad omnem actionem causæ secundæ, tam liberæ quam necessariæ; ita ut sine ea tam impossibile sit creaturam agere quam ut circulus umquam quadratus existat. 2.<sup>a</sup> Ut sit essentialiter connexa cum actione creaturæ; ita ut tam intrinsece repugnet creaturam hac prædeterminatione motam non operari, quam intrinsece impossibile est res chimæricas existere. 3.<sup>a</sup> Ut ejus positio et non positio e solo liberrimo Dei arbitrio dependeat; ita ut extra omnem prorsus potentiam creaturæ, etiam liberæ, sit illam adquirere aut impedire.

242.—Hæc est natura prædeterminationis physicæ a Bannezianis propugnatæ. Reliqui autem Philosophi ac Theologi communi consensu tamquam superfluam et humanæ libertatis inimicam rejiciunt: inter quos non pauci nec leves auctores ex illustrissima familia dominicana inveniuntur, ut videre est apud P. Thyrsus Gonzalez in tom. 4 suarum *Quæstionum selectarum* disp. 4, a n. 213. Imo insignis dominicanus Joannes Vincentius, qui primum Salmanticæ et deinde Romæ Theologiam publice docuit, acerrimum bellum bannezzianis prædeterminationibus indixit, ut testatur ejus auditor Magister

Basilius Legionensis in tomo *Variarum disputationum*, part. 1, quæst. 9.<sup>a</sup> expositiva, cap. 3, et evidentibus rationibus ostendit P. Gabriel de Henao in sua *Scientia Media historice propugnata* a n. 172; et R. P. Fr. Josephus de Vita, clarissimus inter Fratres Prædicatores Magister, in egregio suo opere *De proprio et per se principio, unde provenit peccatum in actionibus voluntariis*, a præstantissimis ejusdem Ordinis viris approbato et auctoritate Magistri Generalis edito Panormi an. 1665 integrum tractatum scripsit, ut prædeterminationes bannezianas oppugnaret tamquam a mente D. Thomæ alienas ejusque principiis adversas atque humanæ libertatis eversivas (1).

His ita prænotatis, jam ad solutionem propositæ quæstionis veniamus.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Deus non modo remote atque indirecte sed etiam immediate ac directe in omnes actiones et effectus creaturarum operando influit.*

Est sententia communis et certa: nec contraria Durandi opinio tolerari potest.

243.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Est evidens per se. Nam, si Deus ne remote quidem aut indirecte ad has actiones concurreret tribuendo creaturis suas vires ad operandum, easque conservando ac per motores uniuscujusque proprios ad effectus suos applicando, nullo modo esset illarum dominus absolutissimus; quia creaturæ minime dependerent ab eo in operando. Ideo hæc pars admittitur ab ipso Durando.

244.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Causa secunda essentialiter dependet a prima, non solum quatenus potest causare, sed etiam quatenus de facto causat: hoc enim

---

(1) Tractatum hunc ex ejus opere excerptum in vulgus editum P. Platel sub hoc titulo: *Auctoritas contra physicam prædeterminationem novis ex ipso sacro Ordine Fr. Prædicatorum petitis suffragiis stabilita, etc.* Duaci, an. 1673.

postulat dominium absolutissimum et perfectissimum, quod Deus erga omnia prorsus entia creata habere debet. Sed causam secundam dependere à prima in ipso exercitio causandi idem est ac causam primam immediate ac directe influere in omnes causæ secundæ actiones et effectus. Ergo... 2.<sup>o</sup> Nulla causa secunda effectum suum attingere potest sub ratione formalis *entis simpliciter*, sed tantum sub ratione *hujus particularis speciei* aut *individui*. «Effectus enim suis causis proportionaliter respondent, ut scilicet effectus in actu causis actualibus attribuamus, et effectus in potentia causis quæ sunt in potentia; et similiter effectus particulares causis particularibus, universalibus vero causis universales effectus (1)». Sed in quovis effectu causæ creatæ inveniatur producta non solum ratio *talis individui* aut *naturæ*, sed etiam ratio vera *entis simpliciter*; effectus enim non solum est *hoc individuum* et *haec natura*, sed etiam *verum ac reale ens*. Ergo in illius productionem immediate ac directe simul cum causa secunda influere debet causa prima, ad quam solam spectat attingere effectus sub ratione entis universalissima (2).

### Solvuntur difficultates.

245.—Obj. I. Si Deus immediate operatur omnes effectus mundanos, superflua erit operatio creaturæ: operatio enim ejus sola ad illos causandos sufficiet. Sed hoc admitti nequit. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Si Deus immediate operatur *ut causa particularis* omnes effectus mundanos, superflua erit operatio creaturæ, Conc.: si eos operatur *ut causa universalis*, Neg. Ad rationem additam

(1) S. Thomas, *cont. gent.* lib. 2, cap. 21, n. 3.

(2) Cfr. S. Thomas, *de Potentia*, q. 3, art. 7, in θ.

*eadem esto distinctio.* Deus effectus hos producit ut causa universalis; et ideo sufficienter in rebus operatur ad *primi agentis*, non vero *unici actionem*.

246.—Obj. II. In hypothesi prædicta una et eadem actio procederet a creatura et a Deo. Sed repugnat ut una et eadem actio procedat a duobus agentibus; sicut nec unus numero motus potest esse duorum mobilium. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—Una et eadem actio nequit procedere a duobus agentibus *eiusdem ordinis*, Trans.: a duobus agentibus *diversorum ordinum ad invicem subordinatorum*, Neg. «Una actio, scribit optime S. Thomas, non procedit a duobus agentibus unius ordinis. Sed nihil prohibet quin una et eadem actio procedat a primo et secundo agente (1)».

247.—Obj. III. Faciens dicitur causa operationis facti, in quantum dat ei formam, qua operatur. Ergo ut Deus dicatur omnes operationes rerum creatarum producere, sufficit ut eis dederit virtutes quibus operantur.

Resp.—*Dist. maj.*—Faciens *creatulum* dicitur causa operationis facti, in quantum dat ei formam, qua operatur, *Conc.*: *increatum*, *Subd.*: *etiam*, *conc.*: *tantum*, neg. Faciens *increatum* seu Deus dicitur et est causa operationum rerum creatarum quatuor modis: 1.<sup>o</sup> Quatenus illas produxit suis viribus operativis instructas; 2.<sup>o</sup> Quatenus eas et earum vires in existentia accepta conservat; 3.<sup>o</sup> Quatenus simul cum ipsarum motoribus particularibus eas ad suas actiones applicat, ad eum modum quo artifex ad actionem applicat securim, quæ incidit per suum acumen; 4.<sup>o</sup> Denique quatenus immediate et directe operatur omnes effectus creatrarum, eos attingendo sub ratione generalissima entis, et consequenter elevando naturales earum virtutes ad sphærā in qua ipsa operatur, quamque illæ per se attingere nequeunt.

---

(1) Id. *Summ. Theol.* 1. p. q. 105, art. 5 ad 2.<sup>um</sup>

Jam vero modus hic ultimus continet concursum immediatum et directum a nobis propugnatum.

248.—Obj. IV. Quandocumque Deus aliquam naturam constituit, eo ipso dat ei omnia illa, quæ sunt de ratione illius naturæ. Sed de ratione cuiusvis naturæ est, ut sit aliquarum actionum principium. Ergo ad eliciendas has operationes non indiget natura ulteriore Dei actione.

Resp.—*Conc. maj. et dist. min.*—De ratione cuiusvis naturæ est, ut sit aliquarum operationum principium applicata ad agendum per suos motores correspondentes et adjuta a causa prima per suum concursum simultaneum, immediatum et directum, *Conc.: sine hac applicatione et hoc adjutorio, Neg.* Ratio distinctionis constat ex proxime dictis.

249.—Obj. V. Illud, quod Deus creaturæ naturalibus suis viribus instructæ per ulteriorem actionem confert, quo actualiter agat, aut sufficit ad hoc ut creatura possit per se operari, aut non. Si *primum*; pari ratione sufficiet vis naturalis in prima illius productione collata. Si *secundum*; aliquid aliud novum per aliam operationem conferre debebit; et si hoc non sufficit, aliud et aliud usque in infinitum. Ergo, cum in his Dei operationibus non sit procedendum in infinitum, dicendum est ad hoc quod creatura possit per se operari, sufficere ex parte Dei ut illam naturalibus suis viribus instructam producat, quin aliquid aliud operatione aliqua nova in ea efficiat.

Resp.—*Conc. maj. et neg. primum membrum minoris.*—Quod Deus viribus naturalibus creaturæ in prima hujus institutione collatis per novas operationes superaddit, ut sufficienter potens sit ad agendum, est ultimum complementum illarum virtutum et illas existentes præsupponit. E contra mera collatio harum virium in prima institutione creaturæ non implicat illud, quod postea Deus per novas opera-

tiones ad complendam earum sufficientiam superaddit; quia simplex productio creaturæ non necessario secum fert actionem conservativam suarum virium naturalium, nec actionem applicativam earumdem ad agendum, nec denique actionem cooperantem concursus simultanei atque immediati. Ergo nulla est paritas in argumento affirmata.

Inst.—Incongruum videtur inducere Deum addentem novum complementum viribus naturalibus creaturæ ad hoc ut sufficienter potens sit ad agendum, tamquam si in prima illius productione non potuerit hanc completam sufficientiam ei conferre. Ergo præter operationem, qua has vires creaturæ confert, nulla alia ad hunc finem fingenda est.

Resp.—*Neg. ant.*—Complementum illud, ut optime docet Angelicus Doctor (1), non poterat in prima virium naturalium collatione creaturæ conferri, sed per ulteriores actiones necessario dari debet; quia conservatio harum virium, applicatio earum ad actionem et cooperatio cum eisdem in ipsa illarum actione præstite sunt res post primam harum virium collationem venientes.

251.—Obj. V. Saltem in voluntate humana nihil operari Deus dici potest, neque illam ad actionem applicando, neque actioni illius cooperando: secus enim voluntas humana non relictæ fuisse in manu consilii sui. Ergo...

Resp.—*Neg. ant. cum ejus probatione.*—Deus voluntatem humanam, sicut et quasvis res creatas, ad actiones suas applicat ut *motor universalis*, *cum motore ejus particulari et proprio simul in eam agendo*. Motor autem particularis et proprius voluntatis est judicium rationis; quod minime eam privat sua libertate, sed in manu sui consilii relinquit. Pariter Deus voluntatis actioni cooperatur *ut causa universalis*, naturæ ejus liberæ sese accommodando, et consequenter concursum illi præbendo ex se non determinatum ad unum, sed diversum ab illo quem præbet causis necessariis. «Deus, ut optime scribit

---

(1) S. Thomas, *De Potentia*, quæst. 3, art. 7, ad 7.<sup>um</sup>

S. Thomas, non dicitur hominem dereliquisse in manu consilii sui, quin in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis: quod quidem dominium naturae non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum (1).»

Inst.—1.<sup>o</sup> Voluntas est domina sui actus. Talis autem non esset, si agere non posset, nisi Deo in ipsa operante; cum voluntas nostra non sit domina divinæ operationis. Ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante.

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Ad rat. addit. *Dist. assert.* Voluntas nostra non est domina divinæ operationis *absolute et eo sensu*, *ut pro suo libitu possit obligare Deum ad operandum*, *Conc.: conditionate et eo sensu ut, supposita voluntate Dei operandi cum illa modo ad naturam suam liberam accommodato, in manu ejus sit operationem divinam logice determinare*, Neg. Voluntas est domina sui actus, non per exclusionem causæ primæ, ita ut sola et sine concursu causæ primæ actionem suam liberam eliciat; «sed quia, ut scribit S. Thomas respondendo ad hanc ipsam difficultatem, causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam: et ideo determinatio actus relinquitur in potestate voluntatis et rationis (2).» Quod aliis verbis idem est ac dicere, Deum ita velle operari simul cum voluntate actiones nostras liberas, ut voluntas nostra pro libertate sua physica logice determinet concursum ei a Deo ad operandum oblatum.

Inst.—2.<sup>o</sup> Liberum est, quod causa sui est. Ergo quod non potest agere nisi alia causa in eo agente, non est liberum in agendo. Atqui voluntas nostra est in agendo libera. Ergo potest agere, nulla alia causa in ea operante.

Resp.—*Conc. ant. et dist. consequens ex eo immedia- te illatum:* Ergo quod non potest agere nisi alia causa

(1) S. Thomas, *loc. cit. resp. ad 12.<sup>um</sup>*

(2) Id, *ibid. in resp. ad 13.<sup>um</sup>*

in eo agente, *invincibiliter illud ad unum determinando*, non est liberum, Conc.: quod non potest agere nisi alia causa in eo agente, *illud non invincibiliter ad unum determinando sed ipsi relinquendo determinationem sui actus*, non est liberum, Neg. Unde, *concessa minore subsumpta, nego conseq. sub dist. data.* «Non quælibet causa, ut optime ait S. Thomas respondendo ad hanc objectio-  
nem, excludit libertatem, sed solum causa cogens: sic autem Deus non est causa operationis nostræ (1):» «quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum de-  
terminet, sicut determinat naturam; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis (2).»

### PROPOSITIO SECUNDA.

*Prædeterminatio physica a Bannezianis inducta tamquam superflua, humanæ libertatis eversiva et divine sanctitati injuriosa rejicienda est.*

251.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Eatenus non foret superflua, quatenus requireretur sive ad salvandam in Deo rationem *primæ causæ*, sive ad salvandum *supremum Dei dominium*, sive ad salvandam infallibilitatem *divinae præscientiæ*, sive denique ad tollendam *causæ secundæ* indifferentiam: hi enim sunt tituli, in quibus Banneziani illius necessitatem fundant. Sed ad nullum ex his finibus necessaria est. Nam:

1.<sup>o</sup> *Non ad salvandam in Deo rationem primæ causæ.* Hæc enim sufficientissime salvatur, si Deus exerceat quatuor genera operationum in præcedente proposi-  
tione ei vindicata; productionem scilicet creaturarum cum suis viribus ad operandum aptis; conservatio-

---

(1) Id. *ibid.* in resp. ad 14.<sup>um</sup>

(2) Id. *ibid.* in resp. ad 13.<sup>um</sup>

nem harum creaturarum cum suis viribus; applicationem ipsarum ad suas actiones, movendo eas ad agendum ut motor universalis simul cum motoribus illarum particularibus; effectuam denique suarum actionum et effectuum, attingendo ea sub generalissima ratione entis et consequenter elevando ad hanc altissimam sphaeram virtutes operativas ipsarum eam per se attingere minime valentes. Atqui nulla ex his actionibus confundi potest cum prædeterminatione physica: quia applicatio causarum secundarum ad suas actiones, in qua ponitur a Bannezianis prædeterminatione physica, non fit secundum illos a Deo ut motore primo et universali simul operante cum ceteris motoribus particularibus sed ut motore *unico*. Ergo...

2.<sup>o</sup> *Non ad salvandum dominium Dei absolutum.* Nam Deus sine prædeterminatione physica potest perfectissime exercere dominium suum *moralē* in creaturas liberas imperando et prohibendo actus quoscumque voluerit, eosque dirigendo ad finem a se ipso per suam libertatem electum; dominium vero *physicū* eas conservando aut destruendo pro sua voluntate, et ad operationes quasvis infallibiliter applicando per media etiam de se repudiabilia; cum eorum efficaciam perfectissime norit, minimeque illum ante quodlibet decretum absolutum lateat quid unaquaque creatura per exercitium suae propriæ libertatis faceret, si in talibus et talibus adjunctis ab eo constitueretur. Ergo...

3.<sup>o</sup> *Non ad salvandam infallibilitatem divinæ præscientiæ.* Nam, cum Deus vi sua essentiæ sit determinatus ad infallibiliter cognoscendum quidquid est in se cognoscibile; ante quam decernat creaturas producere, perfectissime scid quid unaquaque per exercitium suæ activitatis, etiam liberæ, suis auxiliis

adjuta faceret, si crearetur atque in talibus et talibus adjunctis poneretur. Unde, cum decernit illas producere et in talibus et talibus adjunctis eas constituere; eo ipso in hoc suo decreto infallibiliter videt quid unaquæque illarum in unoquoque temporis momento per exercitium suæ activitatis, sive liberæ, sive necessariae, factura est. Ergo...

4.<sup>o</sup> *Denique non ad tollendam indifferentiam causarum liberarum.* Nam in primis indifferentia hæc non est passiva sed activa, nec oritur ex defectu ullo sed ex magna voluntatis perfectione: ac proinde non debet tolli per quoddam agens extrinsecum, quod faciat voluntatem transire ex pura potentia receptiva ad actum; sed per ipsam voluntatem in manu consilii sui ab Auctore naturæ relictam. Deinde vero indifferentiam voluntatis satis tollit Deus sine prædeterminatione banneziana, *a)* determinando eam, ut ejus principium, ad bonum in genere per appetitum innatum boni universalis, quo illam instruxit; *b)* efficaciter eam attrahendo ad se, ut ejus finis, per modum objecti seu boni universalis cum appetitu ejus innato perfectam proportionem habentis; *c)* eam denique per judicium rationis ad bona particularia movendo, quo pro sua perfectione ad singula ex illis sese ipsa determinet. Nam, ut vidimus supra cum Angelico Doctore, indifferentia voluntatis humanæ talis est, «ut Deus non de necessitate eam ad unum determinet, sicut determinat causas naturales, sed determinatio actus relinquitur in potestate voluntatis et rationis (1).» Ergo...

252.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.—1.<sup>o</sup> a)* Non est in mea manu habere prædeterminationem physicam ad actum A: si quidem prædeterminationem hanc ex Bannezianorum

---

(1) S. Thomas, *de Potentia*, quæst. 3, art. 7, ad 13.<sup>um</sup>

sententia Deus dat vel negat cui vult, quando vult, et quomodo vult; homines vero se habent *mere passive* ad illam non minus quam materia iners ad impulsum extrinsecus venientem. b) Nec est in mea manu prædeterminationem ad actum A necessario et pure passive a me acceptam privare effectu suo, non faciendo actum A: siquidem prædeterminatio ad actum A tam intime conectitur cum positione actus A, ut non minus impossibile sit ex ea non sequi actum prædictum, quam est impossibile ut existat circulus quadratus. Ergo non est in mea manu non ponere actum A, ad quem per prædeterminationem physicam irresistibileter impellor. Sed actus, quem ego ita pono, ut non sit in mea manu illum non ponere, non est mihi liber, sed tantum Deo, qui pro sua voluntate sic me irresistibiliter ad illum determinat. Ergo prædeterminatio physica manifeste hominem usu suæ libertatis privat ac proinde est libertatis eversiva.

Ad hanc et alias rationes ejusmodi respondent Banneziani per suam distinctionem *sensus compositi et divisi*, dicendo non esse in manu hominis physice præderminati ad actum A conjungere omissionem actus A cum prædeterminatione physica ad illum; sed tamen hominem sub illa ipsa prædeterminatione habere veram et realem potentiam actum illum omitendi: sicut dormiens non potest quidem conjungere statum vigiliæ cum actu somni; sed tamen sub ipso statu somni habet veram potentiam vigilandi.—Sed facile refelli potest ista responsio. Nam, sicut qui est in statu somni non habet potentiam *vere expeditam et completam* vigilandi, sed *ligatam et incompletam*; ita etiam, dum quis sub prædeterminatione prædicta manet, non habet potentiam vere expeditam et completam omittendi actum, ad quem ipsa irresistibiliter impellit; sed potentia illa vere est ligata et impe-

dita per prædeterminationem. Unde, sicut actu dormiens non habet in sua manu actum vigiliæ, quia actuali somno potentia sua vigilandi ligatur; ita etiam sub impulsu prædeterminationis physicæ ad actum A non vere habeo in mea manu omissionem actus A; quia in ordine ad hoc potentia extrinsecus ligata atque impedita existit.

2.<sup>o</sup> Falso dicunt Banneziani præderminationem suam physicam se tenere ex parte actus secundi, non vero ex parte actus primi. Sed si prædeterminatio se tenet ex parte actus primi, vere evertit libertatem; nam qui illa destituitur, caret uno e requisitis ad completam et expeditam potentiam operandi. Ergo prædeterminatio physica evertit humanam libertatem. Major, quæ sola negatur ab adversariis, facile probatur. Nam: a) Quidquid antecedit ipsam actualem operationem voluntatis, se tenet ex parte actus primi, cum actus voluntatis secundus per solam operationem ipsius constituatur: prædeterminatio autem physica antecedit actualem voluntatis operationem, cum sit quid passive receptum in voluntate, quo hæc potentia trahitur ad agendum. b) Si ex eo quod prædeterminatio hæc dicit ordinem ad actionem voluntatis, concludere liceat eam se tenere ex parte actus secundi; pari ratione concludere oporteret ipsam voluntatem prædeterminatione actam se tenere ex parte actus secundi. Atqui hoc falso omnino concluderetur; quia ex parte actus secundi cujuscumque causæ non se tenet ipsa causa, sed solus inflexus ex illa egrediens et in effectum terminans. Ergo... c) Voluntas prædeterminatione carens non habet potentiam completam et expeditam operandi; sive prædeterminatio addat ei aliquam vim operativam, sive sit mera conditio ad posse ejus completum et expeditum spectans. Nam qui prædeterminatione caret, non magis potest ope-

rari, quam candela existens in uno angulo domus valeat inflammare stuppam repositam in altero angulo opposito (1): potentia autem candelæ sic constitutæ non est nisi incompleta et vera impotentia, licet approximatio ejus ad stuppam nullam ei vim comburendi superaddat. *Quis enim dicat ignem sic agere posse in distans? Unde ipse modus loquendi ordinarius applicationem potentiae ad suum objectum inter requisita ad actum ejus primum pertinentia recenset, dum dicimus: Appropinqua magis librum, quia secus legere NON POTERIS; approxima candelam stuppæ, quia secus combustio EI IMPOSSIBILIS EST; accedite magis, quia alias audire NON POTERITIS, etc., etc.* Ergo...

3.<sup>o</sup> Qui sine libertate patitur necessitatem metaphysicam, sine libertate agit. Sed qui prædeterminatione pulsatur, *a) patitur necessitatem;* nam ad prædeterminationem pure passive se habet, cum ex sola Dei libertate pendeat ut illam habeat vel non habeat: *b) patitur necessitatem metaphysicam:* quia prædeterminatione necessitate metaphysica connectitur cum actu voluntatis, ad quem movet; ita ut non minus repugnet hunc ex illa non sequi quam repugnat quadratura circuli. Ergo...

4.<sup>o</sup> Tandem, ut plura omittamus, hæc theses pars ex ipsa libertatis definitione ab omnibus admis-

---

(1) Fatetur hoc apertis verbis Billuart, hæc scribens: «Enim vero quotidie dicimus ignem esse sufficientem ad comburendum, licet ultra debeat applicari subjecto combustibili; panem esse sufficientem ad nutriendum, quamvis præterea debeat masticari, deglutiri et concoqui; intellectum esse sufficientem ad intelligendum, licet numquam intelligat, nisi ulterius adhibeantur species et admoveatur objecto per ulteriorem motionem» (Billuart, *de Gratia*, dissert. V, art. IV).» *Quis non videat sufficientiam haric non esse nisi incompletam, licet applicatio ad agendum nullas vires superaddere his causis dicatur?*

sa apertissime evincitur. Nam omnes definiunt libertatem, dicendo eam esse *potentiam agendi vel non agendi in sensu composito requisitorum ad agendum*. Jam vero, si inter requisita ad agendum prædeterminatio physica ponatur, potentia agendi vel non agendi impossibilis redditur; nam voluntas nequit componere non actum cum præderminatione ad actum. Ergo... Scio equidem P. Billuart adversus hanc communem libertatis definitionem reclamare, aliasque ex verbis S. Thomæ in ejus locum sufficere; quamvis postea eam explicare conatur atque ad suas partes, licet invitam, pertrahere. Sed explicationem suam laudata definitio minime patitur: aliæ vero ex Angelico Doctore ab eo petitæ non minus clare prædeterminationi physicæ adversantur. Ut enim de sola illa loquamur, qua S. Doctor libertatem *voluntatem electivam mediorum* definit, quæ clare non videat voluntati nullam electionem relinquī, si per præderminationem physicam ab ipsa non electam irresistibiliter ad unum determinetur? Patet ergo præderminatione physica libertatem humanam funditus everti.

253.—*Prob. 3.<sup>a</sup> p.*—Prædeterminatio physica facit Deum auctorem peccati. Sed hoc injuriam irrogat sanctitati divinæ, quæ omne peccatum in homine detestatur. Ergo... *Prob. ant.* Deus physice prædeterminando hominem ad actum quemvis peccaminosum expresse ac formaliter intendit illum cum omnibus suis proprietatibus: nulla enim ex illis est ei ignota in momento prædeterminandi ad ipsum; ac proinde, intendendo ejus substantiam, moraliter et imputabiliter intendit etiam omnes ejus proprietates. Sed si intendit expresse ac formaliter actum hominis peccaminosum cum omnibus suis proprietatibus, vere ac realiter vult ut homo peccet ac proinde est auctor peccati. Ergo...

Nec vero refert, quod Deus non intendat directe ac formaliter malitiam actus peccaminosi sed solam illius entitatem. Nam hoc solum sufficit ut quis indirecte et imputabiliter illam velit. Nec aliter velle eam solent peccatores, quando actu peccant; nam directe et formaliter solam delectationem peccando querunt, malitiam vero cum ea conjunctam solum indirecte et quasi per accidens amplectuntur; et tamen hoc sufficit ut vere et realiter dicantur eam intendere. Ad rem D. Thomas: «Quidquid provenit in effectu præter intentionem, est per accidens. Et hoc dico, si id, quod est præter intentionem, ut in paucioribus consequatur. Quod enim vel semper, vel ut frequenter conjungitur effectui, cedit sub eadem intentione. Stultum est enim dicere, quod aliquis intendat aliquid, et non velit illud, quod ut frequenter vel semper adjungitur (1).» Eadem tradit in quæst. I. de malo, art. 3, resp. ad 15.<sup>um</sup> Patet ergo prædeterminationem physicam facere Deum auctorem peccati, ac proinde sanctitati Dei injuriosam esse. Sed jam ad solvenda adversariorum argumenta contraria veniamus.

#### Solvuntur difficultates.

254.—Obj. I. Sine prædeterminatione physica Deus quidem erit causa effectus a creatura producti, non autem actionis ex ipsa egredientis ad illum causandum: tunc enim Deus eatenus influet in causas secundas per concursus simultaneum, quatenus cum his operabitur ad producendum terminum actionis. Ergo prædeterminatio hæc necessario admitti debet.

Resp.—Neg. ant.—Ad rat. addit. Dist. assert. Rejecta prædeterminatione physica, Deus eatenus influet in causas secundas per concursus simultaneum, qua-

---

(1) S. Thomas, In 2.<sup>um</sup> Physicorum Aristot. lect. 8.<sup>a</sup>

tenus cum his operabitur ad producendum terminum per actionem a Deo simul et creatura projectam, Conc.: per actionem e sola creaturae virtute egredientem, Neg. Ad actionem creaturae concurrit Deus per suum concursum simultaneum non minus quam ad effectum quemvis, quin tamen ad hoc indigeat immittere in voluntatem humanam prædeterminationem physicam: sufficit enim ei in illam influere sub ratione generalissima entis, quæ soli Deo correspondet. Et hoc expressis verbis docet S. Thomas dicens: «Nihil prohibet, quin una et eadem actio procedat a primo et secundo agente;» licet prædeterminationem physicam minime admittat, ut in sequente propositione ostendetur.

Inst.—I.<sup>o</sup> Etiamsi actio creaturae a Deo producatur, tamen concursus simultaneus sine *prævio* in prædeterminatione physica reposito insufficiens manet: quod sic ostenditur: Quod est in potentia ad agendum, nequit actu agere, nisi ad id determinetur et moveatur per aliquod ens actu agens; sicut illud quod est in *potentia* ad esse, sed actu non habet esse, nequit adquirere esse a se ipso, sed ex alia re quæ sit actu ens. Sed voluntas, ante quam operetur, est in potentia ad agendum. Ergo nequit actu agere, nisi ad id determinetur et moveatur a Deo.

Resp.—*Neg. assert.*—Ad prob. *Dist. maj.*: Quod est in potentia *passiva* ad agendum, nequit actu agere, nisi ad id determinetur et moveatur per aliquod ens actu agens, Conc.: quod est in potentia *activa*. Neg. Deinde *contrad. min.* Voluntas, ante quam operetur, est in potentia *activa* ad agendum, Conc.: est in potentia *passiva*, Neg. Et *sub dat. dist. neg. conseq.* Argumentum adversarii non uno ex capite vacillat. Nam: a) Supponit impugnatores prædeterminationis physicæ nullum alium influxum ex parte causæ primæ in ordine ad operationes causarum secundarum admittere nisi solum concursum simultaneum; cum tamen præter hunc concursum ponatur ab illis *prævius*, quo Deus, ut *motor universalis* simul cum aliis mo-

toribus agens, applicat causas secundas ad operandum. Unde argumentum prædictum vere et realiter ita procedit: *Juxta impugnatores prædeterminationis physicæ, Deus non applicat per prædeterminationem hanc causas secundas ad operandum: ergo per nullam aliam operationem illas applicat, sed solum eis concursum simultaneum præbet.* Quod quam sit falsum et contra apertas regulas Logicæ nemo non videt. b) Supponit prædeterminare et movere res esse omnino synonyms, ac proinde negantes prædeterminationem physicam eo ipso negare omne aliud motionis genus. Unde argumentum illud ita realiter se habet: *Impugnatores prædeterminationis physicæ non admittunt motionem prædeterminantem: ergo nullam admittunt.* Quod eodem modo peccat contra apertas regulas Logicæ: nam negare motionem essentialiter connexam cum actu creaturæ, absolute necessariam ad hujus actus positionem et a solo Dei libero arbitrio pendentem minime est quasvis alias motiones oppositis licet proprietatibus ornatas rejicere. c) In antecedente dicit voluntatem humanam indigere aliquo motore extrinseco, quo excitetur ad agendum: et in consequente concludit indigere motore quodam determinato, qui solus hanc excitationem producat. Unde argumentum prædictum tale in re est: *Voluntas humana, ut actum suum ponat, debet moveri ab aliquo motore ab ea distincto: ergo a Deo solo sine aliis motoribus in eam agente.* Quod rursus contra regulas Logicæ manifeste peccat. Ex illo enim solummodo sequitur debere moveri ab aliquo motore, qui capax sit applicandi eam ad actionem: hic autem motor est Deus simul cum humana ratione operans. Supposita enim determinatione ad bonum in genere, quam ab auctore naturæ accepit voluntas, deinde ad bona particularia ipsa sese applicat per ejus motorem proprium; quod est judicium intellectus, dicente Angelico Doctore: «*Voluntas, cum sit ad utrumlibet, per aliquod determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis; nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum (1).*» d) Denique ex potentia passiva ad activam procedit; quasi vero idem esset imperfectio et carentia actus, quam prima implicat, ac perfectio et actus, quæ per secundam importantur.

---

(1) S. Thomas, quæst. 3, de Malo, art. 3, ad 5.<sup>um</sup>

Unde argumentum oppositum ita concludit: *Quod est in potentia passiva et actu destituta, indiget alio principio actuante, quo in actum reducatur: ergo etiam quod est in potentia activa seu est verus actus primus et vera causa continens in sua virtute effectum, indiget tali principio actuante.* Quod manifestum paralogismum continet, cum in eo ex uno ordine ad alium plane diversum imo et oppositum transitus fiat. Porro voluntas in actu primo jam completo existens nullo alio complemento indiget ad emittendam suam actionem operativam; cum ad illam, *quatenus agens*, non sit in potentia receptiva, sed in vero actu perfecto actionem suam elicere valente concursu Dei simultaneo adjuta. {*Ut quid enim eam amplius compleat causa prima, quando jam dedit ei determinationem seu inclinationem naturalem in genere, quando ut bonum universale jam eam determinavit de facto ad sui amorem, quatenus bonum hoc reluet in intellectu, quando denique ad electionem boni particularis jam eam applicuit per ejus propositionem intellectualem?*} Neces-sitas ergo talis prædeterminationis ulterioris pure fictitia est et omni prorsus fundamento caret.

Inst.—2.<sup>o</sup> Cum solo concursu simultaneo salvatur quidem in Deo ratio primi entis, quatenus per eum influit in effectum sub altissima *entis* formalitate: at vero non salvatur in eo ratio primæ causæ; ad quam spectat, non solum influere in effectus sub formalitate prædicta, sed esse fons cujuscumque causalitatis creatæ. Ergo præter concursum simultaneum aliis influxus descendere a Deo ad causas secundas dicen-dus est. Atqui influxus hic esse debet prædeterminans; modus enim influendi causarum efficientium inter se hic est, ut una moveat et determinet alteram ad operandum. Ergo...

Resp.—*Transmissio antecedente et concessso conse-quente, nego minorem subsumptam.* Ad rat. addit. *Dist. assert.* Modus influendi causarum efficientium inter se hic est, ut una moveat et determinet aliam, *quando agitur de causis necessariis,* Trans.: *quando sermo est de causis liberis,* Subd.: ut una moveat al-

teram, sed *non determinet saltem physice*, conc.: ut moveat et *physice determinet*, Neg. Concedimus libenter, præter concursum simultaneum, alium etiam influxum ex causa prima ad secundas descendere oportere, ut eæ in actus suos erumpere valeant. Imo id in prima nostræ propositionis parte probavimus: est enim necessarium tum ut Deus tribuat omnibus suis creaturis inclinationem naturalem ad suum proprium bonum, et voluntatem humanam determinet per modum ultimi finis ad bonum in genere spectatum, tum etiam ut et voluntatem et aliam quamvis potentiam operativam creatam ad actiones suas particulares applicet per motores uniuscujusque proprios. Sed tamquam omnino superfluum rejicimus illum alterum, quem iis duobus Banneziani per suam prædeterminationem physicam a solo Deo factam adjicere contendunt. {Ut quid enim Deus iterum per se solum causas secundas ad suas actiones applicet, quando jam ad easdem per motores uniuscujusque proprios simul cum illis agendo applicatas habet? Non possumus autem probare modum arguendi ab adversario hic iterum adhibitum, callide pro synonymis sumendo *motionem* et *determinationem*, quasi unum idemque forent, cum non minus different inter se quam *genus* et *species*. Voluntatem enim ad suas actiones a Deo simul cum ejus peculiari motore, intellectu scilicet, operante moveri, sive moraliter, sive etiam physice, fatentur omnes quotquot prædeterminationem bannezianam oppugnant. At vero motionem hanc, aut aliam quamvis a solo Deo factam, esse *determinantem* seu ex intrinseca natura sua essentialiter connexam cum actione creaturæ et ab humana libertate prorsus independentem, hoc tamquam eversivum libertatis iidem auctores totis viribus rejiciunt.

Inst.—3.<sup>o</sup> Causæ secundæ se habent respectu Dei tamquam causæ instrumentales. Sed causa instrumentalis non agit nisi ut prævie mota et applicata ad operandum a causa principali; ut appareat in manu, quæ pingere non potest, nisi applicetur a pictore. Ergo causæ secundæ nihil actu possunt operari absque prævia motione et applicatione ex parte Dei.

Resp.—1.<sup>o</sup> *Indirecte*, retorquendo argumentum: Ergo prædeterminatio physica, quam tu nomine *motionis præviae et applicationis ex parte Dei* in argumen-  
to intelligis, est necessaria, non solum ad agere, sed  
etiam ad ipsum posse plenum et completum; quoniam  
tu ipse fateris causas naturales *nihil sine illa actu*  
*agere posse*, et hoc exemplo *manus* confirmas, quæ  
sine motione artificis nihil actu pingere potest. Hoc  
autem neotericis bannezianis non placet: quia aperte  
vident cum hoc posse incompleto minime subsistere  
posse libertatem humanam. Et sane S. Thomas  
applicationem præviam ex parte Dei necessariam puta-  
bat ad ipsum posse plenum et completum, ut infra  
ostendetur; quod id obiter notamus, ut tandem vi-  
deant Banneziani, qui tantopere in hoc Angelici Do-  
ctoris argumento confidunt, longissime S. Doctorem  
ab illorum prædeterminatione physica distare.

Resp.—2.<sup>o</sup> *Directe. Transmissis majore et minore,*  
*distinguo consequens*: Ergo causæ secundæ nihil actu  
agere possunt sine prævia motione et applicatione ex  
parte Dei *a Deo ut motore universalis simul cum moto-*  
*ribus cuiusque causæ propriis operante facta*, Conc.  
consequentiam. Ergo causæ secundæ nihil actu agere  
possunt sine prævia motione et applicatione ex parte  
Dei *a solo Deo facta*, *postquam jam ut motor universa-*  
*lis cum particularibus motoribus operans unamquam-*  
*que illarum ad suas actiones applicuit*, Neg. Hæc secunda  
applicatio post primam illam factam prorsus inutilis est; ac de  
ea ne unum quidem verbum profert Angelicus Doctor, quando  
de applicatione causarum secundarum ad agendum tractat,  
licet causas secundas *lato quodam sensu* ut instrumenta quæ-  
dam causæ primæ consideret. Dico autem *lato quodam sensu*:  
quoniam causæ secundæ respectu effectuum suorum natura-  
lium *vère ac proprie*, non causæ instrumentales, sed principa-  
les sunt; licet concursu immediato et simultaneo indigeant, ut

causalitate sua ipsam rationem generalissimam entis in illis attingere valeant.

Inst.—4.<sup>o</sup> Si causa prima non determinat concursus causæ secundæ, hæc determinabit concursum primæ, quoniam ambæ simul operantur. Sed hoc repugnat; quoniam secus Deus nō foret primum determinans. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Secunda determinabit concursum primæ *pure logice*, et quidem postquam hæc se determinavit ad illam in illis adjunctis constituendam, *Conc.: physice*, et non supposita *prædicta* determinatione ex parte causæ primæ, Neg. Et *contrad. min. neg.* *conseq.* Causa secunda non potest quidem physice determinare concursum causæ primæ, quoniam ad hoc oporteret ut saltem prioritatem naturæ prius operaretur quam prima; quod repugnat, cum in nullo rationis signo cogitari creatura possit agens per se *sola* et sine concursu causæ primæ. Logice autem nihil vetat, quominus hanc determinationem faciat; quoniam hoc nihil aliud est quam dicere effectus omnes a causis secundis simul cum causa prima productos magis specificari a causis secundis quam a prima. Hinc S. Thomas in lib. 3 *cont. gent.* cap. 99, n. 2, expressis verbis docet virtutem universalem causæ primæ determinari per virtutes particulares activas causarum secundarum, sicut determinatur in syllogismis virtus propositionis universalis ad particularem conclusionem per minorem particularem. Quod quidem necessario sequi debet ex ipsis formis *sub quibus* causa prima et secunda res e virtutibus earum egredientes juxta ipsum S. Doctorem attingunt (1). Nam causa prima illas attingit sub ratione generalissima *entis* causa vero secunda sub ratione *talis determinati individui*.

Ad rationem vero additam *respondeo negando prorsus assertum*. Nam satis sibi servat Deus rationem primi determinantis decernendo creare causas secundas concursu ejus ad unamquamque illarum accommodato instructas, easque in

---

(1) Cfr. S. Thomas, *cont. gent.* lib. 2, cap. 21, et alibi passim.

singulis rerum adjunctis constituendo, in quibus concursum hunc pro sua quæque natura et conditione logice determininet.

255.—Obj. II. Prædeterminatio physica minime tollit humanam libertatem. Sub ipsa enim prædeterminatione ad actum A habet homo veram potentiam omittendi hunc actum, licet conjungere nequeat illius omissionem cum prædeterminatione ad ipsum. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *Dist. assert.* Habet veram potentiam omittendi prædictum actum *præ-determinatione inevitabili ligatam et minime expeditam*, *Conc.: proxime dispositam*, *Neg.* Potentia, quam relinquit prædeterminatio, remota est et minime ad actionem expedita, qualis nempe est potentia ignis existentis Matriti ad comburendum Romæ. Hæc autem potentia non sufficit, ut quis vere dicatur habere in sua manu omissionem prædictam.

Inst.—1.<sup>o</sup> Falso dicunt impugnatores prædeterminationis physicæ hominem non habere in sua manu prædeterminationes divinas. Nam homo ideo non prædeterminatur ad actiones sanctas ex. gr., quia ipse sua defectiva libertate peccando hanc prædeterminationem impedit (Ita Billuart, *de gratia*, dissert. V, art. IV). Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *Neg. assert.* Juxta principia Bannezianorum ratio cur homo non prædeterminatur ad actionem aliquam sanctam, non est quia peccando prædeterminationem ad ipsam impedit, sed quia prædeterminatur ad peccatum vel ad aliquam aliam actionem cum prædeterminatione illa jncompossibilem. Homo enim in systemate horum auctorum habet quidem in se vim plenam ac perfectam operandi bonum et malum, quoniam prædeterminatio nullas vires novas confert voluntati, sed simpliciter ad suas actiones applicat: sed in ordine ad prædeterminationes ipsas mere passive seu in pura potentia receptiva se habet, quin aliquid facere possit ad unam præ alia obtainendam. Nam collatio unius prædeterminationis præ alia in singulis rerum adjunctis unice pendet ex liberrimo et absolutissimo decreto Dei volentis ut

nunc prædeterminetur ad actionem bonam potius quam ad malam et postea ad peccatum potius quam ad actum virtutis. Hinc, ante quam prædeterminetur sive ad bonum, sive ad malum, ipse de se indifferens manet ad quilibet prædeterminationem accipiendam, et exercitio suæ libertatis minime determinare Deum potest ut ad bonum potius quam ad malum eum determinet; ac proinde ratio cur potius prædeterminatur ad malum quam ad bonum est pura voluntas Dei, non autem impedimentum ullum ab eo libere oppositum.

Inst.—2.<sup>o</sup> Etiam concursus suum simultaneum liberrime Deus præbet creaturæ, et tamen hæc dicitur habere plenam et expeditam virtutem operandi. Ergo idem asseri debet de concursu prævio in prædeterminatione physica liberrime a Deo conferenda repository.

Resp.—*Conc. 1.<sup>am</sup> p. antec. et dist. 2.<sup>am</sup>*—Et tamen hæc dicitur habere plenam et expeditam virtutem operandi, *quia Deus concursum hunc simultaneum omni homini offert et nulli ex se antecedenter negat*, *Conc.: secus, Neg.* Et *sub data dist. neg: conseq. et parit.* Concursus simultaneus, quatenus oblatus et paratus, est necessarius ad ipsum posse humanæ libertatis, quoniam sine illo ne minimum quidem actum exercere potest humana libertas. Hinc Deus eum creaturis sine ulla fictione offert in ipso actu libero quo vult ut causæ liberæ in hoc mundo existant et expedito suæ libertatis usu fruantur. Prædeterminationes vero physicas non ita offert; sed cuique dat aut negat quam vult, quando vult et quomodo vult juxta earum patronos. Hinc differentia est maxima inter utrumque concursum: quod si Deus concursum simultaneum eo modo præstaret, quo dicitur a Bannezianis dare prædeterminationem physicam, homo certe non haberet plenum et expeditum suæ libertatis exercitium, et vera libertate in operando careret.

Inst.—3.<sup>o</sup> Prædeterminatione physica supponit in homine plenum et completum posse et solum dat agere. Ergo ex ipsa sua motione relinquit integrum libertatem.

Resp.—*Dist. ant.*—Supponit in homine plenum et completum posse, *quatenus per nomen* posse indicatur *virtus operativa*, *Conc.*: *quatenus per illud indicatur virtus operativa omnibus requisitis ex parte actus primi ad agendum instructa*, *Neg.* Inter requisita ad agendum ex parte actus primi recensetur conveniens applicatio potentiae ad objectum: conveniens autem hæc applicatio reponitur a Bannezianis in prædeterminatione physica. Ergo, quamvis hæc proprie pertineat ad agere et non det posse seu virtutem operandi, sine ea virtus causæ secundæ non est nisi potentia quædam remota et minime ad agendum expedita. Et sane, equis dicat ignem, quamvis ex applicatione ad stupram nullam accipiat vim operativam, esse in potentia propinqua ad comburendam stupram, quando longissimo intervallo ab ea separatur? Jam vero ita prorsus se habet humana voluntas relate ad suos actus, ante quam prædeterminetur. Ergo sine prædeterminatione non est nisi in potentia remota respectu illorum: et cum non habeat in sua manu reddere hanc potentiam ex remota propinquam, sed hoc ex solo Dei arbitrio pendeat juxta Bannezianos, manifeste patet prædeterminatione prædicta prorsus everti libertatem humanam quoad suum exercitium.

256.—*Obj. III.* Argumentum, quod ex sanctitate Dei adversus prædeterminationem sumitur, pariter urget suos adversarios. Hi enim concursum Dei immediatum et simultaneum ad singulas creaturarum actiones admittunt ac proinde explicare etiam tenentur quomodo Deus non sit auctor peccati. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *Dist. conseq.*: Explicare etiam tenentur, *et facillime explicant quomodo Deus cum solo concursu simultaneo non est auctor peccati*, *Conc.*: *iisdem quibus Banneziani difficultatibus premuntur*, *Neg.* In sententia nostra Deus non intendit actionem hominis peccaminosam nec ullo modo approbat; sed e contra detestatur ac prohibet et simpliciter permittit, ne redditur impossibile exercitium libertatis humanæ, quod ipse integrum servatum vult. Hinc æque non est Deus auctor peccati concursum simultaneum voluntate simpliciter permissiva

peccatori præstando, ut libertas ejus integra maneat; ac non peccat sacerdos communionem contra propriam voluntatem peccatori occulto publice eam petenti præbens, ut sigillum confessionis integrum maneat. Nihil autem simile accidit in sententia contraria Bannezianorum; juxta quam Deus directe ac per se intendit voluntate approbativa et beneplaciti actionem, qua homo peccat, et ad hanc intentionem implendam immittit ei prædeterminationem physicam. Juxta principia nostra Deus præbendo peccatori suum concursum simultaneum se habet sicut pater filii prodigi, quando huic dedit portionem substantiæ suæ sciens malum ejus usum futurum: juxta principia autem Bannezianorum Deus erga peccatores se habet, sicut se habuisset prædictus pater, si ipse sponte suâ filium suum impulisset ad petendam portionem memoratam et ad illam consumendam vivendo luxuriose. Patet ergo argumentum ex sanctitate Dei contra prædeterminationem petitum fortiter quidem Bannezianos premere, nullum vero robur habere contra nos.

Inst.—1.<sup>o</sup> Argumentum hoc alio modo longe fortius urget defensores concursus simultanei. Hi namque, ut excludant a Deo voluntatem approbativam actionis, qua homo peccat, inducunt eum quasi reluctanter et mere coacte cooperantem illi actioni. Hoc autem longe pejus et Deo indignius est. Ergo...

Resp.—*Neg. assert.*—Ad ejus probat. *Dist. maj.* Inducunt Deum quasi reluctanter et mere coacte cooperantem actioni peccatoris *ad indicandum Deum mere permissive se habere relate ad hominis peccatum, illudque nullo modo intendere aut approbare*, *Conc.: quasi dicere velint Deum veram reluctantiam et coactionem pati in tali concursu præstando*, Neg. Et *contradistincta minore, neg. cons.* Si nos veram reluctantiam et coactionem ex parte peccatoris venientis in Deo poneremus, insipientissime sane de Deo sentiremus. Deus enim liberrime et sine ulla prorsus coactione ab aeterno voluit mundum creare, in quo creaturæ liberæ existerent integro usu defectibilis suæ libertatis instructæ; ac proinde liberrimè etiam et sine ulla omnino coactione præbere homini decrevit concursum ad eliciendas suas

actiones pravas necessarium. Unde a tali reluctantia et coactio-  
ne in Deo ponendis longe sumus: quia id tantum dicere inten-  
dimus, Deum in hominum peccatis pure permissive se habere  
ac proinde illorum auctorem non existere: quod sane dicere  
nequeunt Banneziani.

Inst.—2.<sup>o</sup> Atqui in sententia quoque Banneziannorum Deus  
pure permissive se habet relate ad hominis peccatum: entitatem  
namque solam actionis pravæ intendit et aprobat; ejus vero  
malitiam simpliciter permittit ac reprobatur. Ergo...

Resp.—*Neg. min. subs. cum ejus probatione.*—Inten-  
dendo enim et approbando entitatem actionis pravæ non pot-  
est non eo ipso indirecte intendere et approbare ejus malitiam,  
ut supra ostensum est.

#### PROPOSITIO TERTIA.

*Sanctus Thomas prædeterminationi physicæ minime savet  
sed e contra illi adversatur.*

257.—*Prænot.*—R. P. Fr. Zephyrinus Gonzalez post addu-  
cta quædam S. Thomæ verba in favorem prædeterminationis  
physicæ, hæc scribit in nota: «Hanc rationem præsertim pro-  
fero propter eos, qui, lucem in tenebras vertere conantes, non  
verentur assere D. Thomam solum concursum simultaneum,  
non vero physicam præmotionem amplecti..... Itaque quod hi  
physicam præmotionem rejiciant et oppugnant, nihil cunctor;  
cuique liberum est opinionem sibi probabilem tueri: sed æquo  
animo ferre non possum eos qui dum præmotionem rejiciunt,  
D. Thomam in suam sententiam vel invitum trahere et per-  
trahere conantur (1)» Pace tanti viri propositam thesim, non  
studio lucem in tenebras vertendi, sed purissimo veritatis amo-  
re ductus demonstrare aggrediar: nec D. Thomam ad meam  
sententiam pertrahere cupio, cum certam judicem et illius au-  
toritate non egeat; sed D. Thomæ honorem adversus recentes

---

(1) Gonzalez, *Philosophia elementaria*, lib. 6, cap. 4, art. 3,  
in nota.

ejus sectatores cum gravissimis antiquis Cajetano (1), Capreolo (2) et aliis vindicare intendo.

258.—*Prob. 1.ª p.*—1.º Sanctus Thomas, qui in adhibendis vocabulis summam semper diligentiam adhibet, magna ubique cautela vitat nomina *determinationis* ac *prædeterminationis*, quoties agit de influxu primæ causæ in actus liberos voluntatis humanae; sed simpliciter dicit Deum illam *moveare*, voluntatem autem sese ad suos actus ratione suæ libertatis *determinare*. Atqui, si *prædeterminationes* banneianas tenuisset, impossibile est ut in tanta locorum multitudine, in quibus de hacce materia tractat, aliquando saltem nomen *determinationis* non usurpasset. Ergo...

---

(1) «Non enim oportet, scribit vindicando D. Thomam ab imputationibus Scotti (Summ. Theol. 1. p. q. 19, art. 8), cum aliquis vult aliquid, seu cum sol illuminat, primam causam *prævia motione* cooperari, sed sufficit et exigitur eam *intrinsece cooperari* tali electioni vel illuminationi: et hoc quia cooperatio in unoquoque est secundum naturam uniuscujusque, sic enim disponit omnia suaviter..... Illa enim non est sic intelligenda, quasi sit aliqua duratio naturæ, in cuius primo instanti causa prima respiciat effectum: et in secundo causa secunda. Puerilis enim hic est sensus, ex quo tamen consequentia processisse videtur; sed est intelligenda quoad independentiam et intimitatem: attingit enim prima causa effectum secundæ et independentius et intimius quam secunda, ut patet in principio libri de Causis. Et propterea dicitur respicere prius».

(2) *In 2 dist. 24, art. 3*, respondendo ad quamdam difficultatem ex indifferentia voluntatis ad diversos actus petitam, ex qua etiam primum suum argumentum R. P. Zephyrinus Gonzalez desumit, sic respondet: «Ad sextum dicendum quod voluntas, quantum est de natura sua, est ad opposita: ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id quod vult, et ideo non indiget alio determinante». Hinc ipse Bañez, *prædeterminationum physicarum auctor*, non dubitat in 1. p. q. 23, art. 3, dub. 2, § *Secundus sensus* eum simul cum Richardo, Tapero et Gregorio Ariminense inter adversantes suis *prædeterminationibus* recensere.

Dicit quidem, licet rarissime, Deum *determinare* et *prædeterminare* omnes effectus: sed hoc de actu *prædefiniendi* et certa providentia illos disponendi, non autem de motione aliqua creata voluntatem humanam determinante intelligit, ut cuivis illa loca consideranti facile patere potest.

Ait etiam Deum voluntatem determinare ad bonum; sed ad bonum *universale*, quatenus ei confert appetitum naturalem seu innatum felicitatis eam ad se necessario trahentis: et notat interea voluntatem in virtute quidem hujus necessariæ tractionis singula bona particularia appetere; sed ad unumquemque illorum nonnisi per se ipsam determinari. En ejus verba: «Dicendum, quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universalis motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparet bonum (1)».

2.<sup>o</sup> Si Sanctus Thomas prædeterminationibus bannezianis adhæsisset, eas certo tradidisset in illis locis, in quibus ex professo tractat de operationibus Dei in causis secundis operantibus: hic enim erat locus iis prædeterminationibus proprius. Atqui tamen in nullo ex locis, in quibus de operationibus prædictis ex professo tractat, vel minimum verbum de bannezianis prædeterminationibus profert. Ergo signum manifestum est eas Angelico Doctori prorsus ignotas fuisse.

Minor facile ostenditur percurrendo hæc loca: quæ quidem tria sunt, scilicet art. 7, q. 3 *de Potentia*, cap. 67 lib. 3 *contra gent.*, et art. 5. quæst. 105 Primæ partis. Porro in primo ex iis locis, a) resolutionem quæstionis sic incipit S. Doctor: «Sciendum namque est, quod actionis alicujus rei res alia potest dici causa multipliciter.» b) Deinde notat hos modos esse, quatuor, dicens unam rem posse dici causam actionis alterius: 1.<sup>o</sup> quatenus ei tribuit virtutes activas; 2.<sup>o</sup> quatenus vires ejus conservat; 3.<sup>o</sup> quatenus vires ejus applicat ad agendum, «sicut homo est causa incisionis cultelli, ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum»; 4.<sup>o</sup> denique quatenus cum ea inmediate concurrit ad effectum, ut causa

---

(1) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. 2, q. 9, art. 6, ad 3.<sup>nr</sup>

altioris ordinis, ad eum modum quo causa principalis concurrit cum instrumentali elevando eam ad suam propriam sphærām: quando enim plures causæ diversorum ordinum immediate influunt in aliquem effectum, unaquæque ex eis illum attingit sub formalitate sui proprii ordinis; ac proinde formalitates ordinum altiorum non attingit nisi quasi instrumentaliter, ad eum scilicet modum quo dolabra attingit formam rei artificiatae, simul cum artifice in eam immediate influendo. c) Denique probat his quatuor modis esse Deum causam actionum creaturarum. Primum sic probat: «Et hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ: quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt.» Secundum ita ostendit: «Deus est causa virtutis collatæ, non solum quantum ad fieri, sicut generans, sed etiam quantum ad esse; ut sic possit dici Deus causa actionis, in quantum causat et conservat virtutem naturalem in esse». Tertium his verbis ostendit: «Et quia natura inferior non agit nisi mota, eo quod hujusmodi corpora inferiora sunt alterantia alterata, cœlum autem est alterans non alteratum, et tamen non est movens nisi motum, et hoc non cessat quounque perveniat ad Deum; sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cuiuslibet rei naturalis, ut movens et applicans virtutem ad agendum». Quartum denique sic demonstrat: «Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior; et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum et de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali invenimus quod est ens, et quod est res naturalis, et quod est talis vel talis naturæ. Quorum primum est commune omnibus entibus; secundum omnibus rebus naturalibus; tertium in una specie; et quartum, si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ quæ respicit totam speciem et ulterius totum esse naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus, nisi per virtutem corporis cœlestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus, primus et intimior omnibus aliis effectibus: et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus: unde etiam ut dicitur in libro de Causis (prop. IX), intelligentia non dat esse, nisi prout set in

ea virtus divina. Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quælibet causa est instrumentum divinæ virtutis operantis».

Hæc est doctrina Sancti Thomæ in hoc articulo contenta: in ea autem ne minimum quidem bannezianæ prædeterminationis vestigium invenire est. *a)* Non invenitur in productione et conservatione virium naturalium, ut per se patet. *b)* Nec etiam in applicatione harum virium ad suas actiones: tum quia applicationem hanc exhibit D. Thomas tamquam factam a Deo ut motore universalissimo simul cum aliis motoribus minus universalibus operante; ut ex argumento, quo eam probat, evidenter patet: tum etiam quia applicatio hæc assignatur a D. Thoma inter requisita ex parte actus primi seu ad ipsum posse causæ secundæ pertinentia; ut ex exemplo cultelli, quod ibi adducit, et ex natura motorum illam applicationem facientium evidenter constat: hi enim tunc solum ultimo complent potentiam operativam rei per ipsos movendæ, quum eam proxime ad actionem applicant. Sic, ut ex *voluntate humana* exemplum sumamus, hæc non est in actu primo completo relate ad volitionem alicujus boni particularis, nisi quando appetitus naturalis boni universalis et bonum ipsum universale, qui sunt proprii ejus motores specifici ab auctore naturæ concessi, eam ad volitionem illius boni excitant per representationem ejusdem in intellectu. Unde ibidem in responsione ad septimam difficultatem docet expresse S. Thomas applicationem hanc esse ultimum complementum potentiae in ratione potentiae, quia non nisi per hanc motionem transeuntem potest in ratione potentiae compleri, hæc scribens: «Nec iterum virtuti naturali conferri potuit, ut moveret se ipsam, nec ut conservaret se in esse: unde sicut patet quod instrumento artificis conferri non oportuit quod operaretur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit quod operaretur absque operatione divina». *c)* Non denique invenitur in actione cooperativa: tum quia actio hæc habet pro termino immediato ipsum effectum causæ sub generalissima ratione entis; tum quia actio prædicta fit a Deo *ut causa universalissima simul cum ceteris causis minus universalibus imo et cum causa ejus individuali* in eam concurrens; ut ex ratione, in qua D. Thomas illius necessitatem fundat, clarissime elucet; tum denique quia pertinet ad ipsum posse. Sine cooperatione enim causæ universalissimæ

et reliquarum minus universalium causa individualis ex mente S. Thomæ non potest effectum suum naturalem producere: quia non eum attingit ex se nisi sub ratione restrictissima *hujus individualis* effectus; et sub aliis rationibus altioribus attingere nequit, nisi quatenus simul cum causis altioribus in eum influit quasi illarum instrumentum. Unde pergit ibidem S. Doctor in corpore articuli, loquendo de hoc genere actionis sic scribens: «Hoc ergo individuum agendo non potest constitueri aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem et ulterius totum esse naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit ad speciem in ipsis inferioribus nisi per virtutem corporis cœlestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei». Ergo manifeste patet in primo ex tribus citatis locis S. Thomam prædeterminationi bannezianæ minime favere.

Deinde, ad secundum locum quod attinet, eodem prorsus modo loquitur S. Doctor ac in præcedente. a) De actionibus creativa et conservativa nihil est cur aliquid dicamus. b) Actionem vero, qua causas secundas, ut motor universalis simul cum earum motoribus propriis operans, ad suas actiones applicat, sic explicat: «Quidquid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis: artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem, dicitur esse causa illius actionis, sicut coquus decoctionis, quæ est per ignem. Sed omnis applicatio virtutis ad operationem est *principali* et *primo a Deo: applicantur enim virtutes operativæ ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis, vel animæ. Primum autem principium utriusque motus est Deus...* Omnis igitur operatio debet attribui Deo sicut primo et principali agenti (1)». Porro applicatio hæc a Deo, non ut operante unico, sed principali et cum aliis simul agente fit: exercetur enim a Deo, ut *primo principio* omnis motus, *per aliquem motum corporis vel animæ*. Ergo toto cœlo distat a prædeterminatione banneziana. c) Actionem denique cooperativam sic ostendit ibidem n. 5.: «In omnibus causis agentibus ordinatis semper oportet quod causæ sequentes agant in virtute causæ

---

(1) S. Thom. *Cont. gent.* loc. supra cit. n. 4.

primæ: sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum cœlestium, et in rebus voluntariis omnes artifices inferiores operantur secundum imperium supremi architectoris. In ordine autem causarum agentium Deus est prima causa, ut in primo lib. cap. 13 ostensum est. Ergo omnes causæ inferiores agentes agunt in virtute ipsius. Causa autem actionis magis est id, cuius virtute agitur, quam etiam illud quo agit; sicut principale agens magis agit quam instrumentum. Deus igitur principalius est causa cuiuslibet actionis quam etiam secundæ causæ operantes». Hic etiam inducitur Deus operans singulas actiones causarum particularium simul cum aliis causis universalibus, causa vero quævis particularis, ut operans *in virtute omnium causarum universalium ad suam actionem concurrentium, et tamquam instrumentum ipsarum;* quia scilicet effectum ab omnibus his causis simul productum causa particularis non attingit nisi sub restrictissima ratione *hujus individui effectus,* dum aliæ causæ universales eum attingunt sub rationibus magis vel minus generalibus juxta propriam singularum naturam. Idcirco inferius in cap. 70 ejusdem libri tertii, querens quomodo *idem effectus sit a Deo et a naturali agente,* respondet: «Oportet igitur quod actio inferioris agentis non solum sit ab eo per virtutem propriam, sed *per virtutem omnium superiorum agentium, agit enim in virtute omnium;* et sicut agens infimum invenitur immediatum activum, ita virtus primi agentis invenitur immediata ad producendum effectum: nam virtus infimi agentis non habet quod producat hunc effectum ex se sed *ex virtute superioris proximi, et virtus illius ex virtute superioris,* et sic virtus supremi agentis invenitur ex se productiva effectus, quasi causa immediata, sicut patet in principiis demonstrationum, quorum primum est immediatum». En quam longe distat Angelicus Doctor a banneiana prædeterminatione, per quam Deus inducitur tamquam motor universalis *unicus* et tamquam causa universalis *unica.* Nam juxta doctrinam expressam S. Doctoris Deus causas particulares ad suas actiones applicat ut *primus motor simul cum secundariis motoribus operans,* et causæ particulares suas actiones eliciunt *in virtute omnium superiorum agentium, et tamquam instrumenta ipsorum.* Patet ergo S. Thomam in secundo etiam e tribus locis, in quibus ex pro-

fesso de actione in operationibus creaturarum egit, longe a banneziana prædeterminatione fuisse.

Id ipsum videre est in tertio loco supra citato Summæ Theologicæ. In eo enim nihil aliud facit nisi brevioribus verbis repetere illa ipsa, quæ in quæstione tertia *de Potentia* et in libro tertio *contra gentiles* latius disseruerat, ut quisque per semetipsum facile cognoscere potest. Ergo constat manifeste S. Thomam prædeterminationi bannezianæ minime favere; quod erat demonstrandum in hac prima propositionis parte.

259.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.—1.<sup>o</sup>* Id patet ex doctrina S. Doctoris in prima hujus propositionis parte exposita, juxta quam prædeterminatio banneziana ut superflua rejici debet.

2.<sup>o</sup> Id amplius confirmatur ex verbis, quibus idem S. Doctor respondet in primo ex tribus supra citatis locis, respondendo ad objectiones. Nam in art. 7. quæst. 3. *de Potentia* sic ait: «Ad duodecimum dicendum, quod Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilii sui, quin in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis; quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum.» «Ad decimumtertium dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia *causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam: et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.*» Jam vero utraque hæc responsio manifeste pugnat cum prædeterminatione banneziana; juxta quam voluntas humana, ante quam operetur, *invincibiliter obligatur ad alteram partem contradictionis; et sic ad unum antecedenter a Deo determinatur, ut determinatio actus non relinquatur homini in potestate rationis et voluntatis.* Quid enim determinet, quando jam per præmotionem divinam irresistibiliter ad unum determinata est?

3.<sup>o</sup> Idem ostenditur ex verbis, quibus voluntatem per se ipsam se determinare asserit. Nam in 1. 2. q. 9.<sup>o</sup> art. 6, postquam docuit in corpore articuli voluntatem humanam a Deo solo, tamquam exteriore principio, moveri accipiendo ab eo, *ut ejus causa efficiente, appetitum innatum boni universalis, et ut ejus fine ultimo, necessarium amorem felicitatis, quæ in solo*

Deo inveniatur, sic scribit respondendo ad difficultates: «*Ad tertium dicendum, quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universalis motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparenſis bonum.* Sed tamen *interdum specialiter* movet aliquos ad aliquid determinante volendum, quod est bonum; sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicetur.» Porro hic S. Doctor manifeste docet:

1.<sup>o</sup> Deum, ut universalem motorem, motione determinante seu ad unum irresistibiliter determinata non movere voluntatem nisi ad universale objectum voluntatis; 2.<sup>o</sup> motionem determinantem, a Deo ut universali motore productam, necessariam esse *ad ipsum posse voluntatis*; quia sine illa homo *non potest aliquid velle*; 3.<sup>o</sup> in virtute hujus determinationis ad bonum universale movere Deum, ut universalem motorem, voluntatem humanam ad singula bona particularia motione ex se ipsa non determinata ad unum sed determinanda per ipsum exercitium liberum humanæ voluntatis; quia homo, supposita illa voluntatis inclinatione invincibili ad bonum in genere, sine qua nihil potest velle, *ipse per rationem se determinat* ad volendum hoc vel illud; 4.<sup>o</sup> denique Deum motione speciali ad determinata bona non movere nisi *interdum*, quando nempe aliquos incitat per suas gratias supernaturales ad alias actiones bonas determinatas. Jam vero haec omnia evidentissime pugnant cum banneziana prædeterminatione, quæ a suis fautoribus necessaria ponitur *ad singula objecta volenda*, quin tamen requiratur ad posse.

Eodem prorsus modo loquitur S. Doctor paulo inferius in eadem 1. 2. q. 10, art. 4, dicens: «Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, *sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat*, sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius, nisi in iis, ad quæ naturaliter movetur.» Scilicet docet hic S. Thomas voluntatem a Deo moveri motione ejus naturæ congruente; ac proinde motionem hanc non esse ex se determinatam ad unum, quando agitur de objectis particularibus, quia voluntas est principium activum non determinatum ad unum sed indifferenter se habens ad multa.

4.<sup>o</sup> Idem patet ex verbis, quibus docet determinationem ab extrinseco etiam ex parte causæ primæ venientem incompatibilem esse cum exercitio libertatis. Nam in *IV Sentent.*, dist. 49, q. 1, art. 3, ad 1.<sup>um</sup> sic scribit: «Dicendum, quod potentia rationalis se habet ad opposita in his, quæ ei subsunt; et hæc sunt illa, quæ per ipsam determinantur: *non autem potest in opposita illorum, quæ ei sunt ab alio determinata; et ideo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur*, scilicet in oppositum finis ultimi. Potest autem in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quæ ordinantur ad finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet.» Hæc tam clara sunt, ut nulla prorsus explicatione indigeant. In illis enim expresse dicit S. Doctor ideo carere libertate voluntatem humanam in appetendo fine ultimo, *quia ad illum appetendum ex divina impressione determinatur*; idque ipsum eventurum in appetitione ejusdem boni, si voluntas a Deo ad illum determinaretur. Ergo...

5.<sup>o</sup> Idem ostenditur ex verbis, quibus asserit concursum Dei generalem per concursum causarum specificari, determinari ac veluti modificari. Nam in quæst. 1. de *Potentia*, art. 4, ad 3.<sup>um</sup> sic ait: «Dicendum, quod licet causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur et specificatur.» Et quæst. 5, de *Veritate*, art. 9, ad 10.<sup>um</sup> scribit: «Dicendum, quod causa prima plus dicitur influere quam secunda, in quantum ejus effectus est intimerior et permanentior in causato quam effectus causæ secundæ; tamen magis similatur causæ secundæ, quia per eam determinatur quodammodo actus causæ primæ ad hunc effectum.» Jam vero hæc, quæ etiam docet lib. 3, cont. gent, c. 66, n. 5, et alibi, apertissime pugnant cum prædeterminatione banneziana; juxta quam actus divinus omnes actus causarum secundarum irresistibiliter determinat, et a nullo ex eis ullo modo determinatur. Quod quidem adeo verum est, ut Bañez, *quia Cajetanus* in 1. p. q. 19, art. 8, hanc ipsissimam D. Thomæ doctrinam sequens, dixerat contra Scotum «primam causam non attingere effectum secundæ in se ipsa, sed modificata cooperatione sua juxta modum ipsius causæ secundæ;» hæc de Cajetano scribere non dubitaverit: «Displacet quod ait virtutem primæ causæ modificari per causam secundam. Quod quidem ego falsum re-



puto, si de prima causa universalissima, qualis est divina voluntas, intelligatur. Imo vero divina voluntas omnia modificat, dum causa est universalissima et efficacissima cuiuslibet rei et quantum ad fieri et quantum ad esse et quantum ad modum (1).» Ergo...

6.<sup>o</sup> Denique, ut alia multa omittamus, idem constat ex ratione, qua probat hominum peccata soli ipsorum libertati esse tribuenda. Nam: *a)* In 1. 2. quæst. 80, art. 1, ad 3.<sup>am</sup> scribit: «Ad tertium dicendum, quod Deus est universale principium omnis interioris motus humani: sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana et diabolo per modum persuadentis vel appetibilis proponentis.» Quasi dicat: Peccatum hominis soli ipsius libertati tribui debet; quia ad actum peccati non determinatur homo a Deo, utpote per concursum a causis secundis determinabilem in illum concurrente; neque a diabolo, utpote solum instigante et suadente; sed a sola ipsius libertate, cuius est ligere inter diversa objecta proposita. *b)* In 2. dist. 39, q. 1, a. 2, sic ait: «Ratio culpæ in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo qui habet dominium sui actus: *hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur nisi ex se ipsa*, quod tantum voluntati convenit.» Scilicet homo male operando peccat, quia hoc per voluntatem facit, quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur nisi ex se ipsa. Quid clarius poterat Angelicus Doctor, ut prædeterminationem bannezianam rejiceret? Constat ergo manifestissime Aquinatem prædeterminationi physicæ adversum esse (2).

---

(1) Bañez, *in 1.<sup>am</sup> p. D. Thomæ*, q. 19, art. 8.

(2) Si plura cupis, confer hac super re P. Josephum de Vita in tractatu *de proprio et per se principio* etc. superius commemorato; Doctorem Cerv. in præclaro suo opere: «Controversia inter Angelici Doctoris sectatores de mente ejus circa prædeterminationem physicam;» et P. Schneemann «Controversiarum de divinæ gratiæ liberique arbitrii concordia initia et progressus,» Proæm. n. 3, a pag. 54 edit. Friburgii Brisgoviae MDCCCLXXXI.

### Solvuntur difficultates.

260.—Obj. I. S. Thomas tum in quæst. 3 de *Potentia*, art. 7, tum alibi docet Deum movere res ad operandum *quasi applicando formas et virtutes earum ad operationem, sicut etiam artifex applicat acumen securis ad scindendum*. Sed applicatio hæc non nisi in prædeterminatione physica reponi potest. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—S. Thomas locis citatis docet Deum movere, *ut motorem universalem, cum aliis simul motoribus subordinatis agentem, ad operandum, etc., Conc.: ut motorem unicum, Neg. Hinc. nego simpliciter minorem et consequentiam.* Ratio distinctionis patet ex dictis in probatione theseos.

Inst.—1.º Applicatio, de qua agit D. Thomas, a solo Deo fit. Nam S. Thomas in prædicto art. 7. sic ait respondendo ad tertiam difficultatem: «In operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura: sed ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ; sicut operatio instrumenti est per virtutem causæ principalis». Ergo...

Resp.—*Neg. assert.*—Ad rat. addit. *explico verba S. Thomas:* In operatione, qua Deus operatur movendo naturam, id est, in operatione Deo intrinseca et cum ipsa Dei essentia *realiter identificata*, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura, Conc.: In operatione extra Deum existente, qua Deus actiones naturæ operatur, non operatur natura, Neg. Et *sub data dist. neg. conseq.* S. Thomas prædicta verba profert in sensu objectionis ad quam per ea responderem intendit. Jam vero in objectione adversarius probare conabatur Deum non influere immediate ac directe in singulas operationes causarum secundarum: quia actio, qua talem influxum emitteret, nec potest esse una et eadem ac actio causæ secundæ, utpote solam divinam naturam pro principio habens; nec potest esse ab illa diversa, eo quod diversæ operationes non videntur ad eumdem effectum terminari. Hinc, ut objectionem solvat, distinguit duplicem Dei operationem, unam immanentem et cum ipsa Dei essentia realiter identificatam, qua Deus operatur decernendo concurrere cum causis creatis; et alteram e divina virtute fluentem atque ab

operatione creaturæ minime distinctam: primam dicit fieri a solo Deo, secundam vere a Deo simul cum creatura. Hæc est manifestissime Angelici Doctoris mens in laudatis verbis; non autem illa, quam sine ullo fundamento et contra expressam doctrinam traditam ab eodem S. Doctore sibi fingunt Banneziani.

Int.—2.<sup>o</sup> S. Thomas dicit in eodem articulo citato et alibi causas secundas agere *in virtute* causæ primæ illas moventis ad agendum. Sed virtus causæ primæ causas secundas ad agendum movens non potest esse nisi prædeterminatio physica. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—S. Thomas dicit causas secundas agere in virtute causæ primæ et ceterarum causarum universalium in illarum actiones immediate concurrentium, Conc.: in virtute causæ primæ *soli*us, Neg. Deinde *Dist. min.*: Virtus causæ primæ causas secundas ad agendum movens, *qualem sibi fingunt Banneziani*, non potest esse nisi prædeterminatio physica, Conc. Virtus causæ primæ, *qualem docet D. Thomas*. Neg. Et *sub dat. dist. neg. conseq.* S. Thomas, ut ex ipsis ejus verbis supra citatis constat, docet causas particulares agere in virtute *omnium agentium superiorum* et non solius causæ primæ: quia *omnia agentia superiora*, non modo illas movent et applicant ad actionem, sed etiam in eam immediate influunt *sub rationibus quibusdam altioribus*, ad quas ipsæ pertingere non possunt nisi ut eorum omnium instrumenta. Non ergo indicat S. Thomas per prædicta verba prædeterminationem bannezianam, cum agat de actione a Deo simul cum omnibus agentibus superioribus, imo et cum ipsa causa particulari operante facta. Hinc optime notat Cajetanus illam propositionem «causa secunda nihil agit nisi in virtute primæ», hoc tantum significare: «Causa secunda nullum effectum producit, nisi virtute primæ concurrente, et conjungente virtutem secundæ suo effectui; quoniam prima omnia attingit immediate immediatione virtutis (1)». Et ibidem adducit verba superius citata, quibus prædeterminationem physicam rejicit atque *ut quid puerile reputat.*

---

(1) Cajetanus, in 1. p., q. 19, art. 8.

Inst.—3.<sup>o</sup> S. Thomas in prædicto loco et alibi passim docet causas secundas non agere nisi ut instrumenta primæ. Sed instrumentum non operatur nisi quatenus prævie motum a causa principali. Ergo docet prædeterminationem physicam.

Resp.—*Dist. maj.*—S. Thomas docet causas non agere nisi ut instrumenta primæ *et omnium etiam agentium superiorum*. Conc.: ut instrumenta primæ *soli*, Neg. Deinde, *concessa minore, nego conseq.* Sancti Thomæ aperta doctrina est, causas secundas non agere nisi ut instrumenta omnium agentium superiorum illas elevantium ad suas proprias sphæras per suum concursum simultaneum, postquam *per hæc ipsa agentia* ad actionem motæ et applicatæ sunt. Unde S. Doctor non agit de applicatione banneziiana a Deo solo, *ut motore unico et prædeterminante, facta*.

Inst.—4.<sup>o</sup> S. Thomas in laudato articulo 7 dicit virtutem causæ primæ *prius* agere in causatum quam virtus causæ secundæ. Ergo nomine hujus virtutis intelligit prædeterminationem physicam ab illo solo profectam.

Resp.—*Dist. ant.*—S. Thomas dicit virtutem causæ primæ prius agere in causatum quam virtus causæ secundæ *prioritate excellentie et perfectionis*, Conc.: *prioritate naturæ*, Neg. Prioritas, de qua ibi agit S. Thomas, communis est causæ primæ et reliquis agentibus universalibus simul cum ea in actionem causæ particularis concurrentibus: nec prioritas naturæ est sed perfectionis et excellentiæ, quatenus agentia hæc omnia sub rationibus altioribus effectum attingunt et proinde vehementius ac profundius ingrediuntur in effectum. Docet hoc ibidem expressis verbis S. Thomas, hæc scribens: «Sic ergo, si consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum. Si autem consideremus virtutem, qua fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui quam virtus inferioris: nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris: unde dicitur in Lib. de caus. (prop. I) quod virtus causæ primæ prius agit in causatum et vehementius ingreditur in ipsum.» Et sane, *quomodo poterat prioritatem naturæ a Banneziānis excogitatam in laudato articulo docere S. Thomas, quando in quæst. 1 de Potentia, art. 4, resp. ad 3.<sup>um</sup> prius docuerat, quod licet causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam*

proximam determinatur et specificatur?» Hinc, Cajetanus, qui hanc *quasi* modificationem concursus causae primae per concursum causae secundae cum D. Thoma admittit, eodem modo ac nos explicat Angelicum Doctorem, ut ex ejus verbis supra in principio hujus theos tertiae citatis aperte patet.

Inst.—5.<sup>o</sup> S. Thomas in laudato articulo 7 resp. ad 7.<sup>um</sup> ait: «Id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola habens quoddam esse incompletum, per modum quo colores sunt in aere et virtus artis in instrumento artificis.» Atqui haec de sola prædeterminatione physica intelligi possunt. Ergo...

Resp.—*Conc. maj. et neg. min.*—Verba Angelici Doctoris non solum intelligi possunt de re distincta a prædeterminatione banneziana; sed etiam *debent*, considerata totius articuli doctrina. Loquitur enim S. Thomas de cooperatione simultanea, quæ *necessaria est ex parte causæ primæ et ceterorum agentium superiorum*, ut causa particularis creata *possit* attingere in effectu a se producendo formalitates illas altiores, ad quas ipsa pertingere non valet nisi ut instrumentum agentium superiorum: docetque vim hujus cooperationis productricem non potuisse initio suæ existentiae creaturæ concedi, ut adversarius in objectione contendebat; sed in ipso operationis instanti eam tribui oportere; quemadmodum vis artis non potest instrumento infundi nisi in ipsa actione, qua instrumentum in opus artificis influit. En Sancti Doctoris verba: «Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem ei dari potuit quod vis artis esset in ea quasi quedam forma permanens, nisi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus propria ut forma in ipsa permanens, non autem vis qua agit ad esse ut instrumentum *primæ causæ*, nisi daretur ei quod esset universale essendi principium.» Deinde addit cur, præter hanc actionem cooperativam, etiam duas alias in corpore articuli demonstratas, conservativam scilicet virium et applicativam earumdem ad actionem admittere oporteat; quia nempe ens ab alio nec potest conservari, quin ab alio conservetur; nec movere, quin ab alio ad agendum moveatur. Atque ita plene respondet objectioni, in qua dictum fuerat creaturam non alia actione Dei ad agendum indigere nisi sola ipsius viriumque suarum productiva.

261.—Obj. II. S. Thomas in 1. 2. q. 109. art. 1, ait: «Quantumcumque natura aliqua, corporalis, vel spiritualis, ponatur perfecta; non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo». Atqui actio Dei, qua creatura omnis, quantumvis perfecta, indiget ut moveatur ad agendum, non potest non esse prædeterminatio physica. Ergo...

Resp.—Explico verba Sancti Doctoris. a) In primis per illa verba «quantumvis perfecta», non intelligit S. Thomas *requisita ad agendum* ultimo complentia virtutem operativam creaturæ, sed *perfectionem specificam* rei creatæ: ita ut sensus sit: «Quantumvis magna sit perfectio alicujus rei creatæ, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo.» b) Deinde per illa verba «moveatur a Deo» non intelligit Aquinas nisi actionem Dei, *ut primi motoris universalis*, quæ necessaria est, ut creatura applicetur ad agendum et de facto agat. Hoc enim manifeste constat ex verbis proxime antecedentibus, quibus ait actus intellectus et voluntatis posse vocari *motus* lato quodam sensu; ac proinde indigere motione seu actione primi motoris seu primi agentis; quia, «sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœlestis corporis sicut in primum movens corporale; ita omnes motus, tam corporales quam spirituales, reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus». c) Motio, de qua hic loquitur S. Thomas, est necessaria ad ipsum posse creaturæ. Constat enim hoc; tum ex ipsis verbis objectis, quibus ait creaturam *non posse* in suum actuum procedere sine motione illa; tum ex comparatione hujus motionis cum altera motus cœlestis ab ipso adhibita, quam putat esse necessariam ut corpora particularia actus suos efficere possint. d) Denique motio prædicta a Deo fit, ut primo motore simul cum ceteris agentibus superioribus operante; ut manifeste patet tum ex toto contextu illius articuli; tum etiam ex illis verbis, quibus ait omnes motus *reduci* in primum movens simpliciter, quod apertissime indicat motus illos ab omnibus etiam motoribus intermediis immediate produci. His autem positis, manifeste patet esse negandam minorem argumenti: Sanctus Thomas enim in prædictis verbis longe est a significanda prædeterminatione banneziana.

Inst.—Movere ad agendum est agere ut creatura agat. Ergo prædicta verba intelligi debent de actione Dei actionem crea-

turæ antecedente. Sed actio hujusmodi identificatur cum prædeterminatione physica. Ergo...

Resp.—*Conc. ant. et dist. conseq.*—Intelligi debent de actione Dei actionem creaturæ antecedente, quatenus indicant actionem Dei et ceterorum agentium superiorum creaturam applicantium ad agendum, Conc.; quatenus indicant actionem Dei et ceterorum agentium superiorum simul cum creatura in effectus productionem sub formalitate cujusque propria concurrentium, Subd.: Intelligi debent de actione antecedente antecessione seu prioritate excellentiæ, perfectionis et independentiæ, iterum conc.: antecedente antecessione seu prioritate naturæ, neg. Deus et cetera agentia superiora applicant simul et communi actione causas particulares ad agendum; et hæc actio prior natura est actione causæ particularis, quæ post illam applicationem virtute sua et omnium agentium superiorum operatur. Sed post actionem illam applicativam virium causæ particularis ad agendum, Deus et cetera agentia superiora et ipsa causa particularis simul et communi actione producunt effectum: et hæc actio prius prioritate, non quidem naturæ, sed excellentiæ et perfectionis, procedit tam a Deo et ab omnibus agentibus superioribus quam a causa particulari, ut jam supra cum Cajetano notatum est. Patet igitur prædeterminationem bannezianam nullum prorsus fundamentum in verbis Angelici Doctoris habere.

262.—Obj. III. S. Thomas 1. 2. q. 10, art. 4, ad 3.<sup>um</sup> ait: «Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur». Ergo docet motionem divinam intrinsece et essentialiter esse connexam cum actione creaturæ. Sed hæc est definitio prædeterminationis physicæ. Ergo...

Resp.—*Conc. ant. et dist. conseq.*—Ergo docet motionem divinam, qua per concursum simultaneum cooperatur actioni voluntatis, esse intrinsece et essentialiter connexam cum actione creaturæ, Conc.: docet motionem alteram præviam, qua a Deo simul cum ceteris voluntatis motoribus operante excitatur voluntas ad agendum, habere connexionem essentialem prædictam; Neg. Sanctus Thomas ibi loquitur de conursu Dei simultaneo; qui non ponit necessitatem antecedentem in actu voluntatis sed solam consequentem, quatenus necesse est actum voluntatis

poni in hypothesi quod Deus simul cum voluntate illum ponat. Ideo post verba in objectione adducta sic pergit: «Non tamen est impossibile simpliciter. Unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur». Notat scilicet S. Doctor necessitatem in motione illa imbibitam non esse antecedentem actum libertatis, sed consequentem et ex suppositione quod cum illa cooperata simul fuerit libera voluntas.

Inst.—In eodem articulo eodem modo sibi objicit atque osores prædeterminationis physicæ, dicens in prima objectione: «Videtur quod voluntas ex necessitate movetur a Deo. Omne enim agens, cui resisti non potest, ex necessitate movet: sed Deo, cum sit infinite virtutis, resisti non potest. Ergo...» Ad hæc autem respondet eodem modo ac defensores prædeterminationis physicæ hæc scribens: «Voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem quam movet; sed etiam ut eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, ut voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quam si moveretur libere, prout competit suæ naturæ». Ergo S. Thomas prædeterminationem physicam tenet.

Resp.—*Neg. ant.*—Banneziani quidem curant laudatis D. Thomæ verbis motionem suam prædeterminantem tegere, irrito tamen conatu: objectio enim quam S. Thomas sibi ipsi opponit, longe diversa est ab iis rationibus, quibus prædeterminatione physica a nobis impugnatur. Et re quidem vera, non sibi objicit S. Thomas hoc modo: *Omne agens per actionem inevitabilem et irresistibilem, ex necessitate movet;* sed hoc alio longe diverso: *Omne agens, cui resisti non potest, ex necessitate movet.* Porro motio agentis, cui resisti non potest, non movet ex necessitate, si ipsa in se talis sit, ut aut vitari queat aut inefficax reddi; sed movet ex necessitate, quando et inevitabilis simul est et irresistibilis, quod accidit in prædeterminatione banneziana. Idecirco admittimus quidem lubentissime cum D. Thoma «voluntatem divinam non solum se extendere, ut aliquid fiat per rem quam movet; sed etiam ut eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius». Sed simul pro certo habemus cum eodem S. Doctore non congruere naturæ liberæ, ut moveatur ad actus liberos per motionem natura sua inevitabilem et invincibiliter determinatam ad unum, qualis et prædetermina-

tio physica. Nam «quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius, nisi in his, ad quae naturaliter movetur (1)». Scilicet Deus absolute vult ut in mundo sint causae liberæ et libere operentur; sed ideo præcise quia hoc absolute vult, motionem harum causarum statuit huic voluntati suæ absolutæ acommodatam, quæ nempe non esset ex intrinseca sua natura inevitabilis simul et invincibiliter irresistibilis, sed determinationem actus in potestate voluntatis et rationis humanæ relinqueret.

Postquam hæc scripseram et jam ad prelum parata habebam, venit ad meas manus opus novissime in vulgum editum et a R. P. Dummermuth, Ord. Prædic., adversus P. Schneemann compositum sub hoc titulo: *S. Thomas et doctrina præmotio-nis physicæ*. Legi illud animo mea quidem sententia a præjudiciis vacuo: nihil autem in eo inveni præpter quod vel in minimo sententiam meam mutarem: unde scriptum meum prorsus immutatum reliqui.

## ARTICULUS IV.

### De divina providentia.

263.—Providentia est *ordinatio rerum in finem*. Porro perfectio hæc ut principalis pars prudentiæ considerari debet, «cujus munus est ordinare alia in finem, sive respectu sui ipsius, sicut dicitur homo prudens, qui bene ordinat actus suos ad finem vitæ suæ; sive respectu aliorum sibi subjectorum in familia, vel civitate, vel regno (2).» Providentia formaliter est in intellectu; est enim ratio ordinandorum in finem, seu idea practica ordinis quo res in suos fines diriguntur. Præsupponit tamen voluntatem fi-

(1) S. Thomas, *loc. cit.* in corp. art.

(2) S. Thomas, *Summ. Theol.* 1. p. q. 22, art. 1.

nis; cum nullus præcipiat de agendis propter finem, nisi velit finem: unde et prudentia præsupponit virtutes morales, per quas bene afficiatur voluntas erga suum objectum (1). Differt autem a *cura* et *gubernatione*: hæc enim non est nisi *dispositio* et *executio* eorum, quæ per *providentiam* mente concipiuntur atque ordinantur; illa vero et rationem ordinis et illius executionem, seu *providentiam* simul et *gubernationem* complectitur.

264.—*Providentia*. cum sit principalis pars prudentiæ, *proprie circa media in finem ordinanda versatur*: atque idcirco ejus non est velle finem, sed illum a voluntate amatum præsupponit. Hinc, dum quærimus utrum Deus habeat rerum mundanarum *providentiam*, minime investigare intendimus utrum vere ac sincere velit ut res eæ finem suum assequantur. Hoc enim tamquam certum supponimus ex doctrina in *Cosmologia* demonstrata quod Deus mundum creaverit propter suam ipsius bonitatem, ac proinde vere ac sincere voluerit ut singula hujus mundi entia finem suum eo modo assequantur, quo melius divinam perfectionem in hac rerum universitate participare valeant.

265.—*Providentiam* divinam negarunt inter antiquos *Causalistæ* et *Fatalistæ*; quorum primi omnia in hoc mundo casu contingere asseruerunt seu absque ulla intentione præconcepta, secundi vero omnia fato seu inflexibili necessitatibus subjecta esse putaverunt. Inter recentiores easdem doctrinas profitentur quotquot mundum et omnia in eo existentia ex fortuito atomorum concursu ortum suum duxisse ajunt, aut cum Pantheistis omnia irresistibili divinæ *Essentiæ* evolutioni tribuunt, aut denique cum Deistis Deum mundi quidem effectorem agnoscunt sed operis sui prorsus incurium repræsentant. Contra hos omnes cum S. Thoma sequentes statuimus propositiones.

---

(1) Id *ibid.* resp. ad 3.<sup>um</sup>

PROPOSITIO PRIMA.

*Deus sua providentia universa gubernat.*

266.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Quandocumque aliqua ordinantur ad aliquem finem, omnia dispositioni illius subjacent, qui principaliter illum finem intendit; ut in *exercitu ex. gr.* videre est. Sed in hac rerum universitate omnia ordinantur ad finem totius universi per prosecutionem suorum priorum finium, ut in Cosmologia ostendimus (C. 110): et finem hunc principaliter intendere ad Deum pertinet, utpote auctorem hujus universitatis, quemadmodum in Cosmologia etiam dictum est (C. 229). Ergo omnia quæ ad constitutionem mundani ordinis pertinent, dispositioni Dei subjacent: seu quod idem est, Deus providentia sua ordinat ac dirigit omnia hujus mundi entia ad suos proprios fines et ad finem universi totius. 2.<sup>o</sup> Omne quod agit, agit propter finem, quemadmodum in Ontologia ostensum est (O. 527-528). Sed Deus, utpote primum ens et primum movens, omnia agentia creata movet et applicat ad suas actiones (243-244). Ergo omnia prorsus entia movet ad suos fines. Cum vero hoc non faciat cæce sed operando per voluntatem et intellectum, vere unumquodque illorum ad suum finem ordinat, seu habet providentiam erga illud. 3.<sup>o</sup> Ordo hujus mundi a Deo ordinatore processit: omnia enim hujus mundi bona Deum auctorem habent (32, 4.<sup>o</sup>), bonum autem ordinis inter præcipua mundi bona recenseri debet. Sed ordinare res hujus mundi est unamquamque illarum ad suos fines et ad finem totius universi dirigere. Ergo eas omnes sua providentia gubernat. 4.<sup>o</sup> Unaquæque res creata peculiarem suam providentiam

habet, qua in suum finem sponte naturæ moverunt. Nam et mineralia, et plantæ, et animalia, et homines suum bonum sponte sua quærunt; et ad illud obtainendum, obstacula impedientia devincere tentant. Atqui irrationale prorsus est cogitare Deo deesse perfectionem, quam suis creaturis tribuit. Ergo Deo etiam providentia inest, qua res hujus universi ordinat ac dirigit ad finem ab ipso in ejus creatione intentum (1).

#### Solvuntur difficultates.

267.—Obj. I. Si omnia sunt provisa a Deo, nihil erit fortuitum in rebus. Sed hoc cum sensu communni pugnat; cum omnes admittant casum et fortunam. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Si omnia sunt provisa a Deo, nihil erit in rebus fortuitum *respectu Dei*, Conc.: *respectu creaturarum*, Neg. Et *contrad. min., neg. conseq.* Nihil eorum, quæ fiunt in mundo, fit sine voluntate Dei aut approbante aut saltem permittente; ac proinde respectu Dei nihil fortuito accidit (O. 251). At respectu causarum secundarum multa casu accidere possunt; quia propter concursum plurium causarum ad diversos ordines pertinentium effectus quidam ex illis resultant *præter earum intentionem*, ut cum tegula e tecto decidens occidit hominem transeuntem per viam, aut quis inopinato ictu percutit amicum putans esse feram, etc.

268.—Obj. II. Omnis sapiens provisor excludit defectum et malum, quantum potest, a rebus quarum curam gerit. Sed hoc non facit Deus in mundo; cum innumera mala tum physica, tum moralia, in eo eveniant. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Omnis sapiens provisor *particularis* excludit etc. Conc.: *universalis*, Neg. Et *con-*

---

(1) Cfr. S. Thomas, *cont. gent.* lib. 3, cap. 64.

*cessa minore, nego conseq.* «Aliter, ut optime scribit S. Thomas, de eo est, qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universalis: quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi: nam corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur. Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo; non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia Martyrum, si non esset persecutio tyrannorum (1).»

269.—Obj. III. Quæ ex necessitate eveniunt, providentia non egent: prudentia enim, cuius principalis pars est providentia, de solis contingentibus est, ut ait Aristoteles. Sed in hoc mundo multa ex necessitate eveniunt. Ergo non omnia providentiæ subjacent.

Resp.—*Dist. maj.*—Quæ ex necessitate eveniunt, providentia *creata*, non egent, *Conc.*: *increata*, Neg. Et *concessa minore, neg. conseq.* Ad rat. addit. *eadem esto distinctio*. Quæ ex necessitate naturæ eveniunt, humana ordinatione non indigent; quoniam eorum causæ inclinatione naturali feruntur ad ea producenda ab auctore naturæ impressa: sine actione autem aliqua divini Conditoris fieri nequeant, quoniam causæ naturales indigent concursu primæ causæ eas movente et cum illis cooperante, ut in suos fines tendere possint. Ergo, cum hanc actionem divinus Conditor sine prævia illius ordinatione non præbeat, manifestum est causas quasvis

---

(1) S. Thomas, *Summ. Theol.* I. p. q. 22, art. 2, ad 2.<sup>um</sup>

creatas ad suas etiam actiones necessarias divina providentia indigere.

270.—Obj. IV. S. Thomas i. p. q. 23, art. 7 in 6 providentiam Dei circa res parvi momenti negare videtur. Ait enim: «*Licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel bonum, vel culicum, vel aliquorum hujusmodi est per se praeordinatus a Deo.*» Ergo negandum videtur providentiam divinam ad omnia, etiam minima, se extendere.

Resp.—*Neg. ant.*—Ad rat. addit. *explico verba Sancti Doctoris.* Sanctus Thomas ait individua corruptibilia non ordinari a Deo ad bonum universi *quasi principaliter sed quasi secundario*, in quantum in eis salvatur bonum speciei: unde concludit providentiam Dei circa hujusmodi res in hoc consistere, ut ea in tanto numero conservet, quantus necessarius est ad conservationem speciei.

#### PROPOSITIO SECUNDA.

*Deus circa creaturas intellectuales specialem quamdam providentiam gerit.*

271.—*Demonst.*—1.<sup>o</sup> Totus mundus corporeus spirituali subordinatur ac per illum tantummodo divinas laudes canere potest; quoniam ipse in se cognitione caret, quæ necessaria est ad laudem quamlibet canendam. Sed circa ea, quibus alia subordinantur, specialem Deus providentiam gerere debet; quoniam hæc principaliora sunt et in eis præcipue finis totius universi consistit. Ergo... 2.<sup>o</sup> Solæ creaturæ rationales veræ felicitatis capaces existunt; quoniam hæc solæ per suam intelligentiam summum bonum cognoscendo attingere possunt. Ergo, ut in hujus summi boni possessionem venire valeant, speciali quadam Dei cura

indigent, quæ ceteris necessaria non est. 3.<sup>o</sup> Creaturæ spirituales impulsione quadam speciali indigent, qua sine læsione suæ libertatis ad prosecutionem suæ felicitatis ab auctore naturæ incitentur: libertate enim in agendo pollent atque in potestate suæ voluntatis et rationis determinatio suorum actuum relictæ manet. Ergo ad providentiam Dei spectat speciale hoc impulsionis genus ordinare eisque dictare: quod quidem per naturalia rationis dictamina exequitur, suam legem moralem remuneratione præmiorum ac pœnarum munitam creaturis rationalibus decernendo. 4.<sup>o</sup> Denique providentia hæc specialis in ipso modo, quo naturaliter constituta ac disposita est humana societas, evidenter cernitur. Nam in ea perfectio familiæ ex perfectione individuorum et perfectio reipublicæ ex perfectione individuorum ac familiarum essentialiter dependet: ut proinde in potestate voluntatis et rationis membrorum humanam aliquam societatem conflantium relictum maneat, ut et homines individui et tota societas felices sint vel sua felicitate priventur. Ergo...

### Solvuntur difficultates.

272.—Obj. I. Quicumque dimittitur sibi, alterius gubernationi non subjacet. Sed homines ratione suæ libertatis sibi ipsis a Deo dimituntur. Ergo hominum actiones divinæ providentiae minime subduntur.

Resp.—*Dist. maj.*—Quicumque *totaliter* sibi dimittitur, alterius providentiae non subjacet, Cone.: quicumque *partialiter tantum et secundum quid* sibi dimittitur, alterius providentiae non subjacet, Neg. Et *contradicta minore, neg. conseq.* Homines sibi ipsis a Deo dimituntur, quatenus in manu ipsorum relinquitur ut se determinent ad bonum vel ad malum pro sua libertate. Sed in-

terea divinæ providentiae in usu ipso hujus libertatis subjacent; tum quia ordinatione divini auxilii indigent, quo actiones suas exercere valeant; tum quia legi Dei morali bonum jubenti et malum prohibenti subduntur; tum denique quia post præsentem vitam æternum suorum operum sive præmium sive supplicium a Deo recipient.

273.—Obj. II. Deus talis conditionis condidit hominem, ut naturaliter difficile eidem sit exercitium virtutis. Ergo minime gerit specialem erga eum providentiam.

Resp.—*Dist. ant.*—Deus talis conditionis condidit hominem, ut naturaliter difficile eidem sit exercitium virtutis *ob ipsam ejus essentiam ex corpore corruptibili et anima spirituali compositam*, *Conc.: ob defectum alicujus perfectionis ejus naturæ debitæ*. Neg. Difficultas virtutis non oritur in homine ex defectu alicujus perfectionis suæ naturæ debitæ: proinde defectui divinæ providentiae tribui nequit. Præterquam quod non desunt homini media ab ipsa natura dictata, quibus exercitium virtutis suave fiat: in potestate namque hominum est adquirere habitus virtutum, quibus exercitium hoc facile redditur ac delectabile. Imo per divinam revelationem certo constat Deum initio hominem donis suæ naturæ indebitis largitate sua instruxisse, quibus virtutem sine ulla prorsus difficultate colere posset, eumque peccato suo et sibi et suis posteris dona hæc indebita amisisse.

274.—Obj. III. Deus patitur justos affligi in hoc mundo, impios vero lætari et fortuna florere. Atqui hæc providentiam ejus injustam demonstrant. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Deus patitur *aliquos* justos affligi, et *aliquos* impios lætari, *Conc.: omnes*, Neg. Deinde neg. min. et conseq. sub dist. data. Non omnes justi affliguntur nec omnes impii lætantur in hac vita: imo ipsi justi afflicti habent hic aliquando sua gaudia et impii suas tristias et adversitates. Proinde ea, quæ dicuntur in præmissa majore, explicatione indigent. Deinde, quod in minore asseritur, falsum omnino est. Calamitates namque, quibus aliquando hic in terris exercentur justi, sunt illis maxime utiles; tum

ut pro levibus suis noxis satisfaciant, tum ut excellentiores actus virtutis efficiant, tum denique ut a rebus his sensibilibus abstrahantur atque ad superna adspirent. Bona autem temporalia, quibus aliquando abundant impii, non eos vere felices reddunt, nec a punitione justi Judicis suo tempore infligenda liberabunt (1).

275.—Obj. IV. Si Deus specialem providentiam circa homines haberet, non pateretur aliquos eorum æterna sua felicitate privari. Atqui tamen contrarium accidit, cum multi peccatis onusti moriantur. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.*—Non pateretur aliquos homines æterna felicitate privari *independenter ab eorum meritis*, *Conc.: dependenter*, *Neg.* Et *contradistincta minore*, *neg. conseq. sub dist. data.* Deus, quatenus est ex se, omnes vult æterna felicitate gaudere et neminem ea privari. Supposita autem perseverantia finali hominis in peccato, justitia jubet ut condignam suæ perversitatis poenam accipiat et æterna morte mulctetur. Nec vero Deus miracula operari debet, ut nemo ex hac vita peccato infectus decedat; sed ratio dictat ut uniuscunusque sortem in libero ipsius arbitrio relinquat eum ad virtutem per media ordinaria incitando. Si ergo aliqui pereunt; sua culpa pereunt, neque ob hoc providentiam divinam incusare possunt.

---

(1) Cfr. S. Ambrosius, *Offic.* lib. 1, cap. 12; S. Augustinus, *de Civitate Dei*, lib. 1, cap. 8; S. Thomas, *cont. gent.* lib. 3, cap. 71; denique comes de Maistre, *Les Soirées de Saint-Péters-Bourg*, ubi late justitia divina in distribuendis malis vindicatur.

PRÓPOSITIO TERTIÀ.

*Providentia divina certa in se immutabilis est;  
non tamen imponit omnibus rebus necessitatem,  
nec utilitatem orationis tollit.*

276.—*Prob. 1.<sup>a</sup> p.*—Nullus effectus esse potest in mundo, quem Deus ab æterno non præordinaverit, sive illum intendendo et approbando, sive saltem simpliciter permittendo. Sed quod Deus semel ordinat et disponit facere, infallibiliter eveniet prout ab eo dispositum est: voluntas enim ejus absoluta est infrustrabilis. Ergo... Ad rem D. Thomas: «Oportet quod divina providentia in summo perfectionis consistat, quia ipse (*Deus*) est simpliciter et universaliter perfectus. In providendo igitur suæ sapientiae præmeditatione sempiterna omnia ordinat, quantumcumque minima videantur; quæcumque vero rerum aliquid operantur, instrumentaliter agunt ab eo mota, et ei obtemperando ministrant, ad ordinem providentiae ab æterno, ut ita dicam, excogitatum in rebus. Si autem omnia, quæ agere possunt, necesse est ut in agendo ei ministrent; impossibile est quod aliquod agens divinæ providentiae executionem impedit, sibi contrarium agendo. Neque etiam possibile est divinam providentiam impediri per defectum alicujus agentis vel patientis; cum omnis virtus activa et passiva sit in rebus secundum divinam dispositionem causata (1)».

277.—*Prob. 2.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Ad ipsum ordinem providentiae divinæ spectat ut in mundo existant, non solum causæ necessariæ, sed etiam liberæ seque per se ipsas determinantes ad suos proprios actus. Hoc enim postulat perfectio universi: in quo ad exprimendas divinas perfectiones oportet ut diversi entium gradus ac proinde etiam perfectissimus liberorum existant (2).

(1) S. Thomas, *cont. gent.* lib. 3, cap. 94, n. 5.

(2) Cfr. S. Thomas, *loc. cit.* cap. 97.

Ergo certitudo providentiae divinæ non modo libertatem causarum secundarum non excludit, sed eam e contra firmat et certissimam reddit. Ad rem iterum D. Thomas: «Ad providentiam pertinet ordinare res in finem. Post bonitatem autem divinam, quæ est finis a rebus separatus: principale bonum in ipsis rebus existens est perfectio universi, quæ quidem non esset, si non omnes gradus invenirentur in rebus. Unde ad divinam providentiam pertinet omnes gradus entium producere. Et ideo quibusdam effectibus præparavit causas necessarias, ut necessario evenirent; quibusdam vero causas contingentes, ut evenirent contingenter: secundum ordinem proximarum causarum (1)».

2.<sup>o</sup> «Ad providentiam divinam pertinet ut rebus utatur secundum modum earum. Modus autem agendi cuiuslibet rei consequitur formam ejus, quæ est principium actionis; forma autem, per quam agit voluntarie agens, non est determinata: agit enim voluntas per formam apprehensam ab intellectu, nam bonum apprehensum movet voluntatem ut ejus objectum: intellectus autem non habet unam formam effectus determinatam; sed de ratione sua est ut multitudinem formarum comprehendat; et propter hoc voluntas multiformes effectus producere potest. Non igitur ad rationem providentiae pertinet quod excludat libertatis voluntatem (2).»

3.<sup>o</sup> Denique, ante quam Deus per voluntatem suam absolute decernat cum creaturis liberis actionem aliquam facere, perfectissime per suam scientiam scit quid hæc creatura auxilio divinæ omnipotentiae adjuta per suam propriam libertatem faciet, si in talibus vel talibus adjunctis per divinam providentiam constituatur. Ergo, licet Deus consilio suæ sapientiae absolute decernat creaturas liberas in his vel aliis rerum adjunctis ponere et cum illis tales vel tales actiones efficere; non ideo tamen libertati earum nocebit; sed e contra in ipso decreto cum illis concurrendi hoc

---

(1) S. Thomas, *Summ. Theol.* I. p. q. 22, art. 4.

(2) Id. *cont. gent.* lib. 3, cap. 73, n. 2.

imbibitur, ut actiones illæ ex libera creaturarum determinatione fiant. Et hoc est quod indicare intendit S. Thomas, quando, ad explicandum quomodo ordinatio divina non destruit exercitium libertatis creatæ, ait Deum non solum substantiam actus a voluntate creata ponendi, sed modum etiam ejus seu contingentiam suæ emanationis e tali voluntate præordinare atque absolute decernere.

278.—*Prob. 3.<sup>a</sup> p.*—1.<sup>o</sup> Ad sapientiam divinæ providentiæ spectat ut orationes, quibus creaturæ intellecuales benignissimum suum conditorem et gubernatorem deprecantur, ipsis utiles existant. Piis enim creaturæ rationalis desideriis congruum est ut Deus assistat, motum quo per talia desideria ad naturalem suam felicitatem adspirant excitando et ad terminum suum perducendo. Ergo tantum abest ut immobilitas providentiæ divinæ utilitati orationis noceat, ut e contra ex hac ipsa immobilitate utilitas ejus recte inferatur. 2.<sup>o</sup> Imo ratio optimæ gubernationis manifeste postulat ut Deus orationem tamquam medium necessarium et ordinarium ad obtinenda aliqua ejus dona creaturis suis rationalibus statuat; ita ut qui non oret et supplex Deum deprecetur, illis ordinarie careat. Oratio enim nihil aliud est nisi *explicatio quædam desiderii coram Deo*; ad providentiam autem optimi gubernatoris pertinet ut quædam excellentiora dona illis tantum subditis conferat, qui ardentibus suis desideriis sese illis dignos reddiderint (1). Ergo... Hinc optime Angelicus Doctor: «Cum dicunt (Stoici) quod sive orationes fiant, sive non, nihilominus idem effectus sequitur in rebus ex universali ordine eorum, manifeste ab illo universalis ordine vota orantium se-

---

(1) Cfr. S. Thomas. *cont. gent.* lib. 3, cap. 95; item 2. 2. q. 83, art. 2.

questrant: si enim hæc sub illo ordine comprehendantur; *sicut per alias causas, ita et per hæc ex divina ordinatione aliqui effectus sequuntur. Idem ergo erit excludere orationis effectum et communium aliarum causarum* (1).»

### Solvuntur difficultates.

279.—Obj. I. Si præordinatio Dei est certa et immutabilis, hominis opera a Deo præordinata erunt necessaria: causam enim certam et infallibilem sequitur effectus infallibilis et necessarius. Sed opera hominis non sunt necessaria, ut propria cuivis conscientia testatur. Ergo providentia Dei non est certa.

Resp.—*Dist. maj.*—Si Dei præordinatio est certa, hominis opera a Deo præordinata erunt necessaria *necessitate consequente exercitium humanæ libertatis*, *Conc.: necessitate antecedente hoc exercitium*, Neg. Et, *concessa minore, neg. conseq. sub dist. data.* Hominis opera non possunt habere aliam necessitatem nisi illam, quæ in ipsa divina ordinatione præscribitur. Jam vero in hac præscribitur ut habeant necessitatem tantummodo consequentem exercitium humanæ libertatis. Ergo hanc et non aliam habere possunt.

Ad rat. addit. *eadem esto distinctio.* Præordinatio divina infallibiliter quidem connectitur cum operibus ab homine efficiendis; sed necessitatem antecedentem minime in eis ponit, quia in se ipsa includit ut opera hæc ab homine libere se determinante et non per alium determinato fiant.

280.—Obj. II. Si divina providentia certa in se est atque immutabilis, valet illa quorumdam ratiocinatio: Vel sum prædestinatus, vel non. Si *primum*; quidquid egero, salvabor. Si *secundum*; quidquid egero, æterna felicitate privabor. Sed ratiocinatio hæc falsa est. Ergo...

---

(1) Id. cont. gent. l. cit. cap. 96.

Resp.—*Neg. maj.*—Falsitas hujusmodi ratiocinationis evidentissime patet ex aliis infinitis rebus, ad quas pari modo applicari potest. Sic eodem modo possemus dicere: Vel Deus sua providentia prædisinivit ut ego sim dives, hoc anno moriar, scientiam adquiram, etc., etc., vel non. Si *primum*; quidquid egero, hæc omnia mihi evenient. Si *secundum*; nihil horum mihi accidet. *Quis porro in his rebus ita ratiocinatur et non potius habet hujusmodi ratiocinationem ut appertissime falsam?* Ergo pari modo ut appertissime falsam habere eam oportet, quando agitur de felicitate æterna: quia providentia Dei non minus versatur circa has res temporales quam circa felicitatem æternam et eadem in omnibus certitudine pollet. Ratio autem cur talis ratiocinatio rejici debet, hæc est; quia nempe in operationibus divinæ providentiae non excluduntur causæ secundæ; sed unaquæque ex illis debet operari juxta suam naturam, tamquam si effectus earum non præordinati fuissent a Deo. Proinde, si quis sua libertate non utitur ad tales et tales effectus consequendos; illos juxta legem Dei ordinariam non obtinebit: si non curat scientiam adquirere, famem sedare, virtutem colere, etc.; ignarus, famelicus, virtutibus orbatus jacebit. Hinc illud antiquorum: *Cum Minerva manum admove*, et illud recentiorum: *Adjuva te, et Deus te adjuvabit*. Atque inter selectas Sancti Ignatii Lojolæi sententias hæc habetur: *Hæc prima sit agendorum regula: sic Deo sive, quasi rerum successus omnis a te, nihil a Deo penderet; ita tamen iis operam omnem admove, quasi tu nihil, Deus omnia solus sit facturus.*

281.—*Obj. III.* Si providentia Dei fixa in se sit atque immutabilis, inutile erit aliquid a Deo petere: per orationem enim ab eo petimus ut mutet ordinem rerum jam ab ipso stabilitum. Atqui utilitas orationis ex tertia hujus propositionis parte patet. Ergo...

Resp.—*Neg. maj.*—Ad rat. addit. *Dist. assert.* Per orationem a Deo petimus ut mutet ordinem *particularem* rerum *et ab oratione creaturarum ex divina ordinatione pendente*, Conc.: ordinem *generalem* Dei *omnes particulares ordines sua universalitate complectentem*, Neg. Per orationem non petimus ut Deus

mutet suam voluntatem sed ut mutetur dispositio rerum ex oratione nostra pendens. «In quantum ergo per orationem immutatur aliquid de ordine inferiorum causarum instituto a Deo propter orationes piorum, dicitur Deus converti vel pœnitere; non quod æterna ejus dispositio mutetur, sed quia mutatur aliquis effectus (1).»

Atque hæc de Theodicea dicta sufficient.

---

(1) S. Thomas, *cont. gent.* lib. 3, cap.. 69.

A. M. D. G.

# INDEX.

---

---

	Págs.
CAPUT PRIMUM.— <i>De existentia Dei</i> . . . . .	4
Articulus primus.—De necessitate alicujus discursus ad probandam Dei existentiam.. . . . .	4
Art. II.—De demonstrabilitate existentiæ divinæ. . . . .	9
Art. III.—De argomento a priori pro Dei existentia a quibusdam adduci solito. . . . .	16
Art. IV.—De argumentis quibus vere existentia Dei a posteriori demonstratur. . . . .	19
§ I.—Argumenta ordinis metaphysici. . . . .	19
§ II.—Argumenta ordinis physici. . . . .	27
§ III.—Argumenta ordinis moralis.. . . . .	30
Art. V.—De Atheis.. . . . .	36
CAPUT. II.— <i>De Dei natura seu essentia</i> . . . . .	43
Articulus primus.—De nominibus Dei. . . . .	44
Art. II.—De nomine propriissimo Divinitatis. . . . .	48
Art. III.—De constitutivo divinae naturæ.. . . . .	52
CAPUT. III.— <i>De attributis Dei absolutis</i> . . . . .	59
Articulus primus.—Præmittuntur quædam de attributis Dei in genere. . . . .	59
Art. II.—De absoluta Dei simplicitate. . . . .	61
Art. III.—De infinita Dei perfectione. . . . .	65
Art. IV.—De absoluta Dei immutabilitate. . . . .	72
Art. V.—De immensitate atque æternitate Dei. . . . .	76
Art. VI.—De Dei unitate. . . . .	80
CAPUT. IV.— <i>De attributis Dei relativis</i> . . . . .	86
Articulus primus.—De divino intellectu.. . . . .	86
§ I.—Quænam sit natura divini intellectus. . . . .	86

§ II.—Quodnam sit intellectus divini objectum . . . . .	89
§ III.—In quonam medio Deus res singulas cognoscat . . . . .	94
§ IV.—An et quotplex sit scientia in Deo . . . . .	99
<i>Art. II.</i> —De divina voluntate . . . . .	103
§ I.—An et quotplex sit in Deo voluntas . . . . .	103
§ II.—An detur in Deo voluntas libera . . . . .	106
§ III.—Quomodo cum absoluta Dei immutabilitate divina libertas componi valeat . . . . .	112
<i>Art. III.</i> —De divina potentia . . . . .	114
§ I.—An existat in Deo potentia activa et qualis sit . . . . .	114
§ II.—An Deus habeat potentiam creandi et quæ- nam sit creationis natura . . . . .	118
§ III.—An et quomodo conservet Deus res creatas in existentia semel accepta . . . . .	134
§ IV.—An et quomodo ad actiones creaturarum Deus concurrat . . . . .	140
<i>Art. IV.</i> —De divina providentia . . . . .	184








SL 875

40211



10000072745



CO

**Alembide**  
—  
**COSMOLOGIA PSYCHOLOGICA**  
**THEODICEA**

SL  
875